444

J

64

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 J 64

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 J 64

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 J 64

DISPUTATIO
JURIDICA
INAUGURALIS,

De Cambiis von Wechſelen/

QUAM

Duce Jehova

Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

D. ABRAHAMI de GRAU,

A. L. M. Philoſophiæ Doctoris, & in Illuſtri Friſiorum Academia Mathematum Profeſſoris Ordinarii,

NEC NON

Ampliſſimi Senatus Academici conſenſu, & Nobiliſſimæ Facultatis Iuridicæ decreto,

Pro ſummis in utroque Jure Privilegiis & honoribus Doctoralib. ritè & ſolenniter adipiſcendis

Publicè defendet

JOHANNES BöDEKER, Bremenſis.

In Templo Academico. Die 12. Novembr.

FRANEKERÆ,

Excudit JOHANNES WELLENS, Illuſtrium Friſiæ Ord. & eorundem Acad. Typ. Ordinarius. 1669.

kw 5

444 J 64

04 566

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 J 64

Viris Magnificis, Nobiliſsimis, Ampliſsimis, Conſultiſs. Prudentiſsimis,
Dominis

CONSULIBUS SYNDICIS
AC
SENATORIBUS

Liberæ imperialis civitatis
BREMENSIS,
Patriæ Patribus ſpectatiſsimis,
Diſputat. hanc Inauguralem
Conſecrat & Offert.
Author.

KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK

Pro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 J 64

Præloquium.

CEdro dignum mehercule Juſti Lipſii Principis politicorum effatum, ſocietatem civilem duobus maximè conſtare, Commercio & Imperio. Sine mercatura enim ſive ſit naturalis, ſive artificialis, nulla reſpublica bene conſtituta ſubſiſtere poteſt. Naturalis quippe commerciorum uſus, qui inter gentes remotè diſsitas intercedit, quantam utilitatem ſecum ferat, quam neceſſaria in unaquaque Republ. ſit, ipſa naturæ humanæ indigentia loquitur. Quæ enim terra, quæ regio, quæ provincia, quæ mundi pars eſt, quæ aliarum opibus & ſubſidiis non ſummoperè indigeat. Non quævis fert omnia tellus: hæc ſegetibus luxuriat, illa auro, argento gemmiſque abundat, iſta metallis cæteris, nonnullæ iis præterea rebus à quibus aliæ inopes ſunt & deſertæ, quod poëta belliſſimè innuit,

India mittit Ebur, molles ſua thura Sabæi,
At Chalybes nudi, ferrum; viroſaque Pontus
Caſtorea, Eliadum palmas Epeirus equarum.

Deus enim non omnia omnibus terræ partibus, ſed per regiones ſua dona dedit, quò homines alii aliorum indigentes ope, ſocietatem colerent. Hæ res mercatorum laboribus tum navibus, tum vectura importantur & ex-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 J 64

portantur. Hac de cauſa mercator per ſaxa per ignes, ad extremos uſque Garamantas, & glacialem Oceanum, ut varia mercimoniorum exoticorum genera apportet, indigeniſque permutet, currit. Hinc, quicquid uterque Indus, Arabs, Tagus, Nilus, Tiberis, Danubius, Rhenus, Tameſis, Moſchus, Iber, Sequana, divite producit ſinu, quicquid Oceano, inſuliſque omnibus natum ſummo ſtudio & diligentia conquirit, ut patriæ ſibique prodeſſe poßit.

Verùm enim verò, ſicut natura gemmas altißimè recondidit, vilia paßim obvia ſunt; ita quoque mercaturæ utilitates, cum ſummo labore & periculo ſunt conjunctæ. Quid enim dicam de piratis & latrunculis mare infeſtantibus? Quid loquar de Scylla, de Charybdi, de brevibus, de Syrtibus, de vadis, luctantibus ventis, imbribus, tempeſtatibus ſæviſſimis? Quoties vectores incerto maris ſe committentes obortâ tempeſtate inclementi fortunæ cohibendæ cum ventis decidere, & cum grandine paciſci, ut cum Seneca loquar, coguntur, jactu mercium ſuarum in mari facto? Quò quid tandem triſtius? quid acerbius? Quoties procella ingraveſcente mercibus quantumvis magna æſtimatione dignis, foras ante projectis, hauſta eſt in profundum navis cum vectoribus? ut merito Propertius exclamaverit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 J 64

Ah pereat quicunque rates, & vela paravit,
Primus & invito gurgite fecit iter.

Et Germanicus Poëta mirabundus quæſiverit,

Wer war doch erſt ſo kühn / dar mit der Segel Zelt /
Vnd mit des Ruders Pflug befurcht der Wellen Feld?

Nec terreſtris negotiatio ſuis caret periculis & moeſtiis. Quis n. ignorat latrones crudeliſſimos vias bſidere, viatores vectoreſque ex inſidiis aggredi ceratim ad argenteas ſarcinas convolare, mucrone diſtricto aſſim cædibus operari? Quem fugit quanto damno nercaturæ ſtudentes ditiſſimas merces itineri concrelant, quando litui circum aures ſtrepunt; quando feox Bellona ſemel cœperit,

Ære ciere viros Martemque accendere cantu.

Ut igitur hiſce aliiſque incommodis obviam irent nercatores, multa excogitarunt, de quibus jam diſſeere, noſtri non eſt inſtituti. Præprimis verò invenerunt contractus, Aſſecurationis, ut vocant, ut maris aſus evitarent, & Cambii, quò pecuniam quæ olim nercatores vel profecturi ſecum ferre cogebantur in narſupio, & variis itinerum moleſtiis, & maris in-

commodis, vel latronum & piratarum incurſibus ſubjicere, in tuto collocarent & ſine periculo ad longè diſsita loca tranſcriberent. Et hoc remedium adeò Reipub. eſt neceſſarium, ut ſi ceßaret, omnia penè mercaturæ officia deſtruerentur; hacque negotiatione ſublata è medio tollerentur omnes mercaturæ & nundinæ. Non dicam, quòd peregrinantium itinera, captivorum redemtiones, mirum in modum ſublevet; Magnatibus ad bella, & quævis magna gerenda valdè inſerviat. De Aſſecuratione eruditè diſseruit in diſputatione ſua inaugurali nuperrime Doctiſſimus Dominus, Mattheus Mejer, proh dolor! præmatura morte patriæ ereptus.

De Cambii nobiliſſima inque foro & praxi ſæpiſſimè occurrente materia, mihi impræſentiarum agendum propoſui. Ad hoc tuam opem, ô omnipotens æterne & miſericors Deus, flexis genibus precibuſque ſuppliciter imploramus.

THE-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 J 64

THESIS I.

DE Cambio itaque verba facturi, eo ordine incedemus, ut generalibus primò præmiſſis; deinde ejus naturam per ipſa cauſarum documenta explanemus; ac effectuum denique doctrinam; adjectis breviter Contrariis & Affinibus ſubjungemus.

II.

Generalia verò quod attinet, ea reſpiciunt definitionem & diviſionem; Definitio eſt vel nominis, vel rei. Quantum ad definitionem nominis, Cambium, (vernacula lingua ſignificat ein Weckſel) verbum veteribus Ictis plane ignotum, moribus & uſu receptum, deſcendit ab antiquo cambio, idem denotans quod permuto, aliis primæ, aliis quartæ conjugationis eſt; videturque ἀπὸ τοῦ κάμπτω, ἔκαμψα Græco eſſe. Latinum tamen eſſe non inficias imus poſt *Sot. tract. de juſtit. & jr. l. 6. q. 8. art. 1. Strach. de mercat. p. 1. n. 67. & ſeqq.* Reperitur enim apud *Priſcianum l. 10. §. 2. Ennium lib. 10. verbis.* Leucaten campſant *id eſt, permutant. Apulej. in Apolog. 1. p. 111. ibi*, an ipſe mutuarias operas cum vicinis tuis cambias, &c. diſſentientium opinionem, qui barbarum & à Longobardis ortum nihil curantes, quos longo ſyrmate recenſet *Scacc. de camb. & commerc. §. 1. q. 3. n. 1.*

III.

Quia verò cambium idem ſignificat quod permutatio, &
ita

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 J 64

ita generaliter acceptum ſit homonymum, homonymia illa prius venit explicanda. Permutamus autem rem unam cum alia differenti, ſed in valore æquali, & propriè dicitur permutatio, vulgo Ital. baratto: Deinde pecuniam cum re, & propriè eſt emtio venditio: denique pecuniam cum pecunia, & ſpecialem hunc contractum conſtituit: *Card. Cajetan. de camb. c. 4. n. 1. Card. Tolet. de inſtruct. ſacerd. lib. 5. c. 50. Hieron. de Luca de camb. p. 1. n. 12. ibi pro deciſ.* de quo in præſentiarum pro ingenii modulo pauca diſſerere nobis cordi eſt.

IV.

In hac poſtrema ſignificatione definio Cambium, quòd ſit contractus in permutatione pecuniæ conſiſtens, pro certo collybo,

V.

Dicitur contractus, vel, quia eſt conventio, habens in ſe civile negotium, vel, quia ut aliis placet, conſtat propria vi & energia civilem obligationem & actionem producendi. *l. 15. de ſi ſcript. verb. l. 7. §. 1. & 2. de pact. l. 6. eod. Struv. de pact. theſ. 29. & 30.* Et quidem verus, non quaſi: quippe utriuſque contrahentium conſenſus expreſſus hîc intervenit. *l. 1. §. 3. de pact.* ſicut enim pacta tacita ab expreſſis, ita contractus veri, à quaſi contractibus non niſi qualitate conventionis diſtinguuntur: cambium autem non ex tacita conventione naſcitur, quia intervenit campſoris & campſuarii conſenſus de pecunia permutanda expreſſus. *Bach. vol. 1. diſp. 22. th. 4. l. B.*

VI.

Cæterum, quis contractus ſit, magna inter juris interpretes eſt ſententiarum colliſio; alii enim volunt eſſe mutuum *Scacc. de Camb. §. 1. q. 4. n. 4. & ſeqq. Hieron. de Luca d. l. p. 1. n. 24. & 40. in verb. pro deciſione*: alii emtionem venditionem, *Joh. de Anan. in cap. fin. de uſur. n. 46. & ſeq. Scacc. §. 1. q. 4. n. 35.* Alii contractum innominatum do ut des, vel facias, ut

ut volunt *Marquard. de jure mercator. lib. 2. c. 12. n. 23. Card. Cajet. cap. 3. n. 1. Navar. in cap. naviganti ſin. de uſur. n. 9. & 21. Joh. Bapt. Cavar. in prælud. verſ. ſed eſt perm. Rot. Genuenſ. deciſ. 32. n. 6. Scacc. d. l. n. 17. Schaffhauſ. de Camb. th 3.* quæ opinio eſt communior: alii contractum nominatum, *ut Raphaël de Turri de Camb. diſp. 1. q. 11. § 2. ei 8. Quem ſequitur Joh. Mart. Vogt. de Camb. th 2. in pr. pag. m. 9. inſ. Laurent. de Rudolph. de Camb. in ſin. pr. Rota Genu. deciſ. 32. n. 5. & noviſſimè Franciſc. Stypman de jure maritimo & nautico p. 4. c. 8. n. 15. & ſeq.*

VII.

Verum I, non eſt mutuum, 1. quia eſt ſtricti juris, cambium verò bonæ fidei; ſpecies enim eſt permutationis. 2. Quia mutuum eſt naturâ ſuâ gratuitum; in cambio autem intervenit collybus, ſeu ſymbola collybiſtica, Wechſelgeld / à campſuario campſori numeranda. *Stypman. de jur. marit. & naut. p. 4. c. 8.* 2. In mutuo debet res reddi in eadem ſpecie, & regulariter in eodem loco *l. 2. §. 1. de reb. cred. l. 3. eod.* in cambio in diverſa etiam ſpecie, ut pecunia argentea pro aurea, & in diverſis locis. 4. Periculum mutui ſpectat ad mutuatarium utpote dominum, ſed cambii ad campſorem. *Scacc. §. 2. gl. 5. n. 247. Modeſt. Piſt. 1. q. 57. Janua de ſcript. priv. l. 3. n. 44. & ſeqq. vid. theſ. 26. in ſin.*

II. Non emtio venditio, 1. Quia quid merx, quidvè pretium ſit dignoſci non poteſt, cum par aptitudo ſit in utraque pecunia, nec ex partium voluntate mutari poſſit. 2. Quia interpretes inter ſe non conveniunt, quis in hoc contractu emtor, quis venditor, & quod plus eſt, idem eſſe poteſt.

III. Non eſt contractus innominatus, quia ille conſtat cauſa, ſeu re & facto, nec ſine alterutro eorum pro eo haberi poteſt. Per cauſam autem ſeu dationem in contractibus innominatis non intelligimus eam, quæ movit ad contrahendum, ſed quæ executioni eſt mandata. v. c. actu tibi do equum, at reddas bovem. *Lud. Molin. tom. 2. de juſt. & jur. tract. 2. diſp. 257. Sudholt. diſſ. 12. aphor. 44.* Et ideò multi ex interpretibus me-

 ritò

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 J 64

ritò dubitant, an datio vel factum ad ſubſtantiam hujus contractus neceſſario requiratur. Et hoc evincitur ex ipſa formula literarum cambialium, quando ſcilicet mercator in literis hanc clauſulam poſuit, des Wehrts bin ich verſichert/ qua ſignificare vult campſor ſummam in literis expreſſam à campſuario quidem nondum eſſe numeratam, ſed fidem ejus ſecutū literas ſcripſiſſe. Poteſt enim ex ſententia etiam ipſorū adverſariorum, campſuarius ſummam ad cambium dandam nudè ſaltem promittere, & nihilominus, ſi fides ipſi habetur, literas cambii impetrare, ſummamque cambiatam in loco contractus vel per ſe, vel per committentem exigere, *quod latè probatur theſ. 14 26. & 28. & perciſe à Marquard. d. l. lib. 3. c. 11. n. 52.* Ubi expreſſè dicit, ad ſubſtantiam cambii non requiri realem numerationem, *& à plurib. allegatis dd. theſ. 48.* Si igitur de ſubſtantia hujus contractus eſſet datio vel factum, non poſſet illa omitti, ſed initiò contractus intervenire deberet. Forma enim dat eſſe rei, & ideò initiò conſtituitur. Si itaque datio poterit omitti vel differri, ſequitur pro forma eam non eſſe, & ideò nec contractum innominatum eſſe, forma enim nunquam poteſt abeſſe. Deinde DD. hactenus inter ſe non potuerunt convenire ad quem ordinem contractuum innominatorum cambium ſit referendum. Nam *Marquard. d. lib. 2. c. 12. n. 23.* refert eum ad articulum do ut des, ſeu do ut facias, alii tantùm ad contractum do ut des. *Scacc. d. I. §. 1. q. 4. n. 17. Berous lib. 1. conſ. 104. & ſupra allegati.* Dum igitur ita fluctuant interpretes in aſſignando genere hujus contractus, præſtat ab hac ſententia ſecedere, quàm eam dubitanter ſequi.

IV. Statuimus itaque Cambium eſſe contractum Nominatum. Conſtat. n. naturâ ſuâ & propriis qualitatibus & ſitum. Conſtat. n. naturâ ſuâ & propriis qualitatibus & ſitum, cuti reliqui uſu & neceſſitate humana exigente, ſpeciale nomen, eique actionem cognominem invenit, & quidem tale, ſi inſpecie ſumatur, ut illud nulli alii conventioni applicari poſſit, ſed ſtatim ex ſolo nomine dignoſcatur. Nominatio g. operationem habere debet, & talis judicatur contractus, quale

ipſi

ipſi nomen inditum. *uti poſt Borch. conſ. 15. §. 13. p. c. 1. in ſimili refert. Stypman. d. l. n. 169.* Nomen autem utpote accidens, non eſt cauſa hujus contractus, ſed ſola neceſſitas & utilitas. Utilitas enim fuit ut Cambium ſit in uſu communi, uſus peperit rei nomen; utilitas igitur eſt cauſa cambii conſtituenda, nomen eſt indicium & nota conſtituta. Hinc in illis conventionib. certæ ſunt formulæ, cum in reliquis incertæ ſint & vagæ, & ad factum accommodatæ, ex quibus oriuntur actiones præſcriptis verbis in factum &c. Præterea nominatæ conventiones nomen ſuum acceperunt autoritate publica *Stypm. d. l. n. 180.* Conventionibus n. jurisgentium gentes ob dictam neceſſitatem & utilitatem, non quidem expreſſa aliqua lege, ſed tacito uſu, quia apud gentes illa nomina in uſu fuere. Cœteris nominatis conventionibus cives in ſua republ. nomen dare potuerunt. Sic Romani ſtipulationem, donationem, ſponſalit. largitatem, & emphyteuſin introduxerunt. Quod igitur illis juris fuit, id aliis rebuspubl. illicitum eſſe nequit. Sive igitur dicamus Cambium eſſe Jur. gentium, ideò, quòd omnes gentes ſaltem cultiores & mercaturæ non ignaræ utantur, & tacita quadam conſuetudine receperint, ſive juris civilis, ideò, quòd mercatores & certæ respubl. Cambium ſtatutis, legibus & conſuetudinibus circumſcripſerint; manet utroque modo conventio nominata, ab egregio nomine, quo cœteris etiam contradiſtinguitur, uti dictum.

Nec obſtant argumenta, quæ pro contractu Innominato ſtabiliendo afferuntur. 1. Quòd Jr. Juſtinianeo hic contractus ſit incognitus, nec eo nomen habeat. Reſp. hoc arg. ſupra jam eſſe ſolutum. Ubi n. extat Juſtinia. ſuo tempore tantùm habuiſſe poteſtatem contractum nominatum faciendi? Jus gentium quippe eos adinvenit, & ſimul nomen tribuit. Pauciſſimis contractibus jus civile nomen dedit. Et nihil refert hunc contractum Romanis fuiſſe incognitum. Natura enim quotidie novas deproperat edere formas. Quod igitur Romani fecerunt in conſtitutione novarum conventionum, idem & aliis populis licet. 2. Non refragatur, certum eſſe nume-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 J 64

rum conventionum nominatarum. Reſp. hoc quoque incertum, nec unquam probari poſſe certum numerum ſtatuiſſe Juſtinian. quaſi plures eſſe non deberent, & ſi ſtatuiſſet, alias gentes ea lege teneri: & ipſe Juſtinian. contractibus juriſgentium ſtipulationem, donationem, &c. addidit, ut ſupra dictum. 3 Falſum quoque eſt, cambii contractum habere formulam generalem. Eſt enim ſuis cancellis incluſa, ut poſt dicemus, nec ullus contractus eſt, qui cum ipſo æquiparatur. Aſt formulæ contractuum innominatorum adeò contrariæ & generales ſunt, ut nihil de eo certum ſtatui poſſit. 3. Nec quicquam nocet, pænitentia, quam locum habere in hoc contractu exiſtimant & certiſſimam notam eſſe contractuum innominatorum. Reſpond. hoc falſum eſſe, poteſt enim quis etiam in conventionibus nominatis re integra pænitere; ſic Mandans poteſt revocare mandatum & mandatarius, ſi mandantis nondum intereſt, mandato renunciare §. 11. *Inſt. mandati. l. 22. §. f. eod.* Sic ſocius poteſt renunciare ſocietati *l. 14. pro ſoc.* Ita in hoc contractu cambii locus eſt pœnitentiæ, literis cambii à campſore nondum traditis; poſt traditionem verò non eſt locus amplius pœnitentiæ, *de quo plura infr. theſ. 31. Scacc. §. 2. gl. 5. n. 447.*

VIII.

Satis hactenus de definitione: ſequitur jam diviſio. Dividitur autem Cambium, vel ratione cauſæ efficientis, vel formalis. Rat. cauſæ efficientis dividitur, in Publicum, & privatum. I. Cambium publicum eſt, quod à certis perſonis probatæ fidei, à magiſtratu banco publico præpoſitis nomine reipubl. exercetur. Quid verò ſit Bancum operæ pretium eſt indigitare. Eſt autem Bancum certum genus negotiationis in pecunia numerata conſiſtens, quo nummi apud bancherios (*ſeu depoſitarios & caſſerios*) in ſecuritatem creditorum & utilitatem debitorum deponuntur, ut dominium ad hos tranſeat, ita tamen, ut deponens ad libitum nummos repetere poſſit. *Garſ. Maſtril. deciſ. 238. per tot.*

Eſt-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 J 64

Eſtque duplex, Publicum, & privatum. 1. Bancum publicum eſt, quod à perſonis ſpectatæ fidei à magiſtratu electis reipubl. vice regitur. Quia verò magnam pecuniæ vim requirit, illa à publico inferri ſolet, ut ſemper ſit ſolutioni parata, manetque reſpubl. obligata pro ipſis bancis. Inſuper quoque deponũt privati ſuas pecunias, ex inde maxima ad eos redundat utilitas. Habentur ejuſmodi banca, Hamburgi, Francofurti, Venetiis, Amſtelodami, *Raph. de Turri hic diſp. 2. q. 17. n. 44.* 2. Privatum eſt, quod à privatis mercatoribus hiſce nummorum negotiationi operam dantibus permiſſu magiſtratus exercetur. Verùm, mercatores illi, deponentibus pecunias ſuas idoneam præſtant cautionem, nec patiuntur eam otioſam, ſed vel in merces, vel, in cambia exponunt. Talia ſunt hodie Romæ, Venetiis, Neapoli, Panormi, referente *Raph. de Turri de camb. diſp. 1. q. 1. n. 42.*

II. Privatum cambium eſt, quod à quocunque privato qui poteſt exercetur. Ubicunque igitur nulli ſunt conſtituti, qui nomine Reipubl. ſoli huic negotiationi operam navant, quilibet ſuo arbitrio cambia exercere poteſt.

IX.

Dividitur porrò cambium ratione cauſæ formalis, in Minutum & Reale.

I. Minutum (*al. manuale*) eſt contractus, de moneta unius generis cum moneta alterius dato inſuper collybo, permutanda: *verb. cauſa*, minuta moneta cum grandiori, vel vice verſa. *Medin. tom. 2. tit. de reb. per uſur. acquiſit. q. 9. in pr. Cajetan. hic p. 1. c. 1. n. 1. Joh. Azor. de inſt. moral. p. 3. l. 10. tit. de camb. c. 4. Struv. Ex. 25. n. 39.*

Dicitur autem minutum eo, vel quod utplurimum minutiores nummi pro pretioſioribus aut è contra commutantur; vel reſpectu cambii, literarii fit ad minutum ſeu, in parva quantitate, & inſervientes huic arti cambiendi ad minutum vocantur bancherotti. *Fabian. de Camb. p. 1. n. 4. in pr.* Manualè dicitur, vel ad different. literarii, vel quia de manu in ma-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 J 64

num numeratur pecunia. *Joh. Azor. d. l. Soto de J. & Jr. l. 6. q. 8. art. 8. col. penult. & q. 9. art. 1.* Parum verò intereſt in hoc cambio, quis ex cambientibus prius numeret, ſeu accipiat. Incontinenti enim hinc inde ſolet fieri numeratio, ſervata æqualitate, & detracto collybo, qui debetur campſori. de quo *Scacc. §. 2. gloſ. 3. n. 97. & 123. & ſeqq.* Coeterum, ſi de jure quæreretur, quis eorum prius debet numerare & poſtea recipere, dicerem, quòd prius numerare deberet is, qui ad campſorem pro cambio venit. Diximus in fine, datô inſuper collybo. An igitur bona conſcientia nummularius pretium pro tali permutationis labore accipere poteſt? Reſp. Aut habet ſalarium à republica; aut non habet. Priori caſu negatur. Poſteriori verò exiguum pretium à campſuario exigere poteſt, ne officium ſuum ipſi ſit damnoſum: modò id quod campſor pro cambitione numiſmatum accipit, non excedat pretium publica autoritate, aut communi hominum æſtimatione taxatum. *Joh. Azor. d. l. c. 4. q. 3. Sot. d. l. q. 9. art. un. in concl. 2. Cavarr. de veter. numiſ. collat. c. 7. n. 4. inf. Navar. in manual. conf. c. 17. n. 288.* Debet tamen haberi ratio impenſarum in taxatione pretii, non ſolùm in quærendis & aſſervandis pecuniis, ſed etiam alicujus lucri. Quippe non ſolùm indemnis ſervari debet campſor, ſed ulterius aliquid lucrari debet. Quotquot enim aliquod exercitium faciunt, intendùnt aliquid in eo lucrari, quod lucrum iis debetur, ut homines invitentur ad exercitia, reipublicæ utilia, & ut aliquid pro futuris ſuis neceſſitatibus acquirant.

II. Reale cambium (*al. literarium*) eſt, contractus, in permutatione pecuniæ æquivalentis in diverſis locis pro certo pretio facienda, conſiſtens. Dicitur verò reale ad different. Cambii ſicci, *de quo infra.* Literarium vocatur, quia mediantibus literis ſortitur exitum; non quod literæ neceſſariò requirantur: poteſt enim quando fides mercatori habetur ſine literis, ſeu per nuncium fieri. Quia Scripturæ & literæ non ſunt de ſubſtantia cambii, maximè ſi loquamur de foro inte-

riori,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 J 64

riori; ſed ſolùm ad probationem requiritur, & ad contractus executionem in foro fori ſpectant.

X.

Literaria Cambia ſubdiſtinguuntur ratione loci pro quo, & ex quo fiant; quod alia ſint Feriarum, *ſeu Nundinarum*; alia Platearum; illa regularia; hæc irregularia dicuntur. *Marquard. d. l. c. 12. n. 25. Raph. de Turri hic diſp. 1. q. 5. §. 20. I. M. Vogt. hic theſ. 3. in pr. Scacc. §. 1. q. 5. n. 4.* 1. Feriarum Cambium fit pro nundinis ſeu ex nundinis, quia ejus ſolutio deſtinatur ex loco ad nundinas, vel ex nundinis ad locum, vel ex nundinis ad nundinas, & ſubjacet legibus & conſuetudinibus nundinariis. Quarum præcipuæ ſunt hæ, 1. quod ſtatis temporibus deſtinantur ſolutiones: v. c. ſi mercator Francofurtenſis dirigit Venetias Cambium tempus ſolutionis eſt quatuordecim dierum, quod ſtylo mercantili, ut loquuntur, ſic effertur: ſo iſt der uſo oder zahlungs termin unverenderlich durchs gantze Jahr 14. Tage Nachſicht. *Vide plura apud Joh. Martin. Vogt. hic theſ. 2. p. m. 41. & ſeqq. de quo plura infr. theſ. 24.*

2. In cambio nundinali certum pretium, vel à magiſtratu ſingulis feriis taxatum ſolvitur à campſuario: quod in feriis v. c. Genuenſibus à magno conſule, conſiliariis, & omnibus Bancheriis ibi convenientibus fieri ſolet, & juxta tenorem illius taxationis Cambia conficiuntur *Vid. eund. Vogt. d. l. p. m. 51. & plura infra de illa pretii taxatione theſ. 23.*

2.° Platearum (*ſeu irregulare*) cambium eſt, quod non fit ex loco aliquo ad nundinas, nec ex nundinis ad locum, ſed ex uno loco ad alium. v. c. gratia cum Lipſiæ, vel, alibi duo mercatores extra nundinas cambiunt, & mittunt ad locum ubi nullæ ſunt nundinæ: & hæc præciſe non ſubjacent legibus nundinarum. *Romoald. Coli de Camb. c. 7. inf. Scacc. § 1. q. 45. n. 4. & 29.*

Non enim 1. deſtinantur ſolutiones certo tempore, ſed ex arbitrio contrahentium, vel ex conſuetudine loci dependent, unâ cum aliquot diebus (tribus vel quatuor,) diſcretionis uti

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 J 64

uti vocant *Italicè giorni di reſpetto.* 2. Non habet certum pretium, ſed partes contrahentes inter ſe ſolent convenire habito reſpectu ad taxationem autoritate publica in nundinis factam. *Joh. M. Vogt. d. l. theſ. 3. inf. p. 52. Raph. de Turri hic diſp. 1. q. 1. de quo plura infra theſ. 24.*

X I.

Præmiſſis generalibus progredimur, jam ad ſpecialia, quæ exponunt, tum conſentanea, tum diſſentanea. Conſentanea in cauſa efficiente, objecto, forma, fine & effectibus, conſiſtunt. Cauſa efficiens hujus contractus eſt, vel moralis, vel Phyſica. Moralis eſt, vel principalis, vel impulſiva.

I. Cauſa moralis principalis eſt, vel remota, vel propinqua.

1. Remota eſt, tum Jus gentium, non tamen illud, quod natura, nimirum recta ratio in homine conſtituit; ſed quod introduxit per ratiocinationem & diſcurſum, dum ſe quodammodo flexit & accomodavit ad homines viventes in ſocietate civili, videlicet homines in univerſum & ad ſocietatem civilem in abſtracto quaſi & in genere ſumtam: ratio enim ſe accommodans ad hanc vel illam ſocietatem civilem & rempub. producit jus civile. Humana enim indigentia & neceſſitas ſuaſit omnibus gentibus utilia inutilibus quando ~~eveniebat, quod~~ alteri ſupererat, alteri deerat, permutare, variaque commerciorum genera exercere. *l. 1. in pr. ff. de contrah. emt.* Hinc cambiorum exercitium per univerſi orbis emporia jamdudum innotuit *Mich. Salaſ. ad D. Thom. in diſp. 4. de camb. q. 1. art. 2. n. 2. Scacc. §. 1. q. 6. pertot.* Tum jus civile, quod quilibet populus, quælibet civitas ſibi ſoli ad propriæ utilitatis cauſam in cambiorum negotiatione conſtituit. Sic quilibet legiſlator civilis in ſua repub. certis legibus & cancellis includere & circumſcribere ſolet cambiorum exercitium. *Vid. ſtatuta Genuenſ.* & *Hamburgenſ.* Ejus enim eſt pretia cambiorum determinare, decernere de modis & qualitatibus quibus contrahi debeat cambium, cer-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 J 64

tis perſonis cambiendi facultatem permittere: ſic Romæ ſoli bancherotti (ſic dicuntur exercentes cambium minutum) qui ſunt admiſſi, poſſunt exercere artem cambiendi ad minutum, reliquis ſeverè hoc interdictum. *Scacc. §. 2. gloſ. 3. n. 101. verſic. retenta & ſeqq.*

2. Cauſa proxima eſt, duorum vel etiam plurium de cambio ineundo conſenſus & voluntas, non talis, quæ in nudis placiti finibus conſiſtit, nullamque actionem producit, adeoque nil niſi conventio eſt, & pactum, ſeu pactum nudum dicitur, & contractui opponitur; ſed illa, quæ nudæ conventionis terminos excedit, ob nomen, quod ob publicam utilitatem & exigentem neceſſitatem ſortitum eſt. *Sudholt diſſ. 12. aph.* 40.

X I I.

II. Cauſa moral. impulſiva eſt, vel interna, vel externa. 1. Interna cauſa, quæ ad hunc contractum ineundum intrinſecus movet, eſt, hominum in ſocietate civili viventium extrema neceſſitas. Sublata enim hac compendioſiſſima via, quâ ſine magno periculo, modicis impenſis beneficio ſcilicet literarum cambii, pecuniæ ad quæcunque loca tranſcribuntur, cum ob varia belli pericula & rapinas, commercia vix exerceri poſſunt, paciſque tempore pecunias ad quæcunque loca tranſportare non tantùm cum magno incommodò, ſed & ingenti cum damno, propter varios fortunæ caſus, nec minoribus ſæpe impenſis eſt conjunctum. *Joh. Baptiſt. Lupus de uſur. comm. 3. §. 2. n.* 14. In ſumma, adeò reipub. ſunt neceſſaria cambia, ut ſi ceſſarent, omnia penè mercaturæ & nundinarum officia deſtruerentur. *Calder. conſ. 11. Joh. Azor. d. l. p. 3. l. 10. c. 3. q. 1. Scacc. §. 1. q. 6, per tot.*

2. Cauſa externa, quæ extrinſecus provocat & impellit ad cambiendum, eſt lucrum moderatum & juſtum, quod mercatores ex nummorum permutatione ſperant.

Juſtitia verò illius lucri non ex ratione diſtantioris loci, vel quantitatis pecuniæ campſæ, vel temporis, denique, nec

C indi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 J 64

indigentiæ & abundantiæ; ſed ab oneribus vel incommodis & intereſſe ob cauſam cambii ſuſceptis & cauſatis; ut ſunt, penſiones, ſalaria factorum, diſcipulorum, campſoris induſtria, & ſollicitudo, (præter intereſſe ceſſans,) quam in tanta numiſmatum varietate impendit æſtimari debet. *Raph. de Turri diſp. 1. p. 13. n. 35. Matt. Bode h. th. 10. l. b. &c. Scacc. §. 1. q. 7. p. 1. n. 41. & ſeqq.*

XIII.

Cauſam efficientem Phyſicam conſtituunt perſonæ cambium contrahentes, quæ duplicis conſiderationis ſunt, quædam enim cambire prohibentur, quædã non. 1. Non prohibentur cambire, qui facultatem conſentiendi habent, quod ab uſu rationis & intellectus dependet: non tantùm enim mercatores cambire poſſunt, ſed omnes qui ad contrahendum ſunt habiles. Idcirco non prohibentur 1. cæci. *arg. l. 9. de adopt.* 2. Muti. 3. Surdi. *l. 4. §. 1. de pact. l. 48. de obl. & act.* 4. Muti & ſurdi ſimul, etiam tales nati. *§. fin. Inſt. de hered. qual. & diff.* Modò mentem ſuam ſignis & literis poſſint exprimere. *dd. text. l. 65. §. 3. verb. nutu poſſunt ſignificare. ad Sc. Trebell. Blaſ. Michalor tr. de coec. ſurd. & mut. cap. 41.* 5. Fæminæ. *l. 7. de inſt. act. l. 32. §. 4. de aur. & arg. leg. l. 1. §. 16. de exerc. act. l. 7. C. de inceſt. & inut. nupt.* Quamvis argentariam exercere prohibeantur, inde tamen ad hunc contractum inferri nihil poteſt. Officium enim argentariorum habebat cauſam publicam, à qua fœminæ erant excluſæ. *l. 2. de R. J. Marquard. d. tr. l. 1. c. 12. per tot.*

2. Prohibentur itaquè ab exercitio cambii, I. Naturâ, ut 1. Furioſi. *l. 5. 40. & 189. de R. J.* niſi habeant, dilucida intervalla *l. 6. d. off. præſid.* 2. mente capti *l. 4. §. 3. de ædil. edict.* 3. Lunatici, *l. 43. §. 6. eod.* quamdiu mens propter lunam officium non facit. 4. Fatui. *l. 4. §. 1. & 3. eod.* 5. Extremè ebrii *arg. cap. 14. d. vit. & hon. cler. cap. 7. q. 1. diſt. 15. Vin. de pact. c. 14. n. 3.* 6. Impuberes ſine tutor. autorit. *§. 10. de inut. ſtip.* 7. Minores curatores habentes. *Scacc. §. 1. q. 7.*

p. 3.

p. 3. limit. 17. n. 4. Stracha de mercat. p. 3. n. 19. Niſi approbati & in matriculam mercatorum recepti ſunt, & tunc nequidem reſtitutionem in integrum petere poſſunt. *Stracha d. l. n. 26. Cyn. & Bart. in l. 1. C. qui & adverſ. quos reſtit. &c. Mevius ad Stat. Lubec. l. 3. tit. 6. art. 21. n. 26. & 27.*

II. Lege prohibentur, 1. prodigi, quibus bonis interdictum, *l. 4. de R. J.* Jure Wurtembergico notoriè prodigi, licet bonis non interdicti contrahere nequeunt. Landrecht. *p. 2. tit.* von vnnutzen haußhalten. *p. 249.* 2. Judices temporales extra patriam jus dicentes, eorumque officiales; quia negotiatio illis eſt prohibita, in loco ubi jus dicunt. *l. 33. de reb. cred. Stacc. §. 1. q. 7. p. 3. limit. 17. n. 16. Vbi id plenius explicat. Molin. de J. & J. diſp. 343. pr. Strach. de mercat. p. 3. n. 17.* Quod etiam in regnis Luſitan. Caſtellæ, & Galliæ rigidè obſervatur. *dd. aut. Hinc* Aſſeſſores in Camera arcentur à negotiationibus. *ord. cam. p. 1. t. 6. pr.* In patria tamen qua patres-familias cambire poſſunt, non qua mercatores. *dd. autr.* 3. Nobiles & Illuſtres, lucrativam negotiationem mercatoribus convenientem exercere nequeunt; ſed ſolam œconomicam, pro neceſſitate rei familiaris: principes tamen à politica negotiatione, ut populi neceſſitas flagitat, non arceantur; exemplo regum Perſarum, Turcarum, Luſitaniæ, Ducum Holſatiæ, Curlandiæ, Venetorumque, &c. *Marquard. l. 1. c. 10. per tot. Scacc. §. 1. q. 7. p. 3. limit. 17. n. 20. & ſeq.* 4. Clerici, quia cambii exercitium eos implicaret ſecularibus curis. *1. ad Timoth. 3. v. 3. ad Tit. 2. v. 7.* 5. Milites armatæ militiæ per *l. unic. C. Negotiator. ne mil. l. 15. C. de re milit. Marquard. d. l. n. 40.* Cæterum cauſa efficiens Phyſica hujus contractus eſt, vel principalis, vel inſtrumentalis. Principalis eſt campſor, & campſuarius: Inſtrumentalis, factor, & committens. Ut autem conſtet, quomodo dicantur in foro mercatorum, & quot perſonæ requirantur, breviter id indicabimus. 1. Is, qui pecuniam in ſe tranſcribendam recipit (der den Wechſel machet) dicitur latinè, campſor; ſtylo autem mercantili, Traſſans. 2. Is, qui ſolvit, vel ſolvendam promittit,

ut

ut tranſcribatur, dicitur campſuarius; à mercatoribus verò Remittens. Remittere a. in hac materia ſignificat idem, quod mandare; qui enim remittit, mandat alicui in loco contractus, ut vel ipſe per ſe, ſi in locum deſtinatum ſolutioni eo tempore venturus ſit, vel ſi illum adire prohibeatur, ſummam in literis contentam ſolvat, 3. per procuratorem ſeu inſtitorem ſuum, qui à mercatoribus dicitur Factor, ſeu Acceptator cambii, ſolvi faciat. 4. Is, qui exigit ſummam à campſuario tranſcriptam, ſi ille in locum contractus venire nequeat, dicitur præſentans, ſeu committens, quia præſentatio & exactio ipſi eſt commiſſa & mandata. *Scacc. §. 1. q. 5. n. 75. Romoald. Coli hic cap.* 10.

X I V.

Hactenus de cauſa efficiente: conſequens eſt, ut de objecto breviter videamus. Objectum cambii eſt pecunia, ſeu numiſma omnis generis. Quia verò monetæ valor indies, tam in intrinſeca, quàm extrinſeca bonitate creſcit & decreſcit, ne cambientes damnum incurrant, à mercatoribus in certam quantitatem deſcenſum eſt. Cum enim mercatores è longinquis regionibus merces exportare & importare neceſſe habeant, ne ob varietatem incrementi & decrementi bonitatis tam internæ, quàm externæ numiſmatis damnum ſentirent, de certa & perpetuò valitura quantitate ficti & imaginarii numiſmatis, ad iſta incommoda evitanda convenêre. v. c. den Reichſtaler zu gewiſſen batzen: In Venedig ſind Ducati Cornati & di banco, in Holland Pund Flåmiſch / zu Bremen / Lubeck / und Hamburg / hat man Marck / &c. *Vid. hac de re Matth. Bode. dict. diſp. th. 5. Joh. Mart. Vogt. th. 6.* Diximus objectum hujus contractus eſſe pecuniam numeratam: nec adverſatur, quòd interdum campſarius loco pecuniæ promiſſæ præſtet campſori volenti aliam diverſi generis quantitatem, v. c. frumentum vinum &c. Ut nihilominus maneat cambium, nec in alium transformetur contractum

tractum. Qnia alia eſt ratio conſtitutionis contractus, ad quam ſubſtantialia contractus concurrere oportet; alia ſatisfactionis ſequentis, quæ ex conſenſu partium qualiſcunque eſſe poteſt, & ſicut creditor planè remittere, ita aliud in ſolutum accipere poteſt: v. c. in venditione pretium conſtituitur in pecunia numerata, perfecta tamen emtione, etiam pecora conſentienti in ſolutum dari poſſunt. *l. 9. C. de reſc. vend. ibique Brunneman. Diſſ. Scacc. §. 1. q. 7. p. 3. lin. 19.*

X V.

Tantum de objecto. Jam ad formam accedimus. Forma enim alia, eſt ſubſtantial. alia, eſt accidentalis. Subſtantial. eſt, vel generica, vel ſpecifica. Sic conſenſus ad formam genericam omnium contractuum requiritur, quoad formam verò ſpecificam alii requirunt, ut accedat, vel rei traditio; vel literæ; vel verba; alii verò ſolo conſenſu determinato ad certam rem abſolvuntur, *l. 8. pr. de contrah. emt.* præciſo tamen quoad ipſam obligandi vim, ab ipſa rei traditione, item à ſolennibus literis ac verbis. *t. t. Inſt. de oblig. quæ ex conſ. Tabor part. Elem. part. 3. ſec 4. theſ. 18. Struv: Ex. 16. th. 3. inſt* Uti in omnibus conventionibus nominatis, & ita quoque in Cambio, videre eſt. Forma itaque Cambii, Minuti ſpecifica eſt conventio, ſeuconſenſus, de minuta moneta cum majori, & vice verſa vel argentea cum aurea, ærea, &c. & viciſſim, pro certo pretio permutanda. Literarii verò conſiſtit itidem in conſenſu & conventione contrahentium, de permutatione pecuniæ æquivalentis certo tempore, in diverſis locis, pro certo collybo facienda. Dixi, *conſiſtit in conſenſu*; quia omnes conventiones nominatæ ſolo conſenſu partium còntrahuntur. Dixi, *etiam in diverſis locis*; quia diverſitas loci adeò requiritur in cambio literario, ut ab eo divelli nequeat; de ſubſtantia enim illius eſt, contra quam nullum pactum, nulláque conventio ſine tranſmutatione in alium ſpecie diſtinctum contractum, admitti poteſt; ſic non valet emtio ne

tran-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 J 64

tranſeat dominum. *l.* 80. *§. fi. de contrah. emt.* Diverſitas autem loci non æſtimatur, ut in uſucapione *l.* 12. *C. de præſcript. long. temp.* ex eo, quòd ſint in diverſa provincia, ſed ſufficit, quòd contrahentes diſtantia aliqua ab invicē ſint ſeparati, licet in eadem provincia. Dixi inſuper, *ut certo tempore reſtituat*, ſive cambium ſit feriarum, ſive platearum; tempus quippe de ſubſtantia quoque cambii literarii eſt, ut eo commodius poſſit diverſo & longè diſſito loco deſtinari ſolutio, quæ ſine mora fieri nequit: quomodo autem tempus in cambiis, & feriarum &. platearum determinetur *videſis ſuprà th.* 10. In fine adjeci, *pro certo collybo.* Juſtum enim pretium pro impenſo labore & ſollicitudine jure meritò campſor ſumere poteſt. Collybus autem non poteſt eſſe juſtior, quàm, ſi vel autoritate publicâ, ad quam pertinet rerum pretia determinare *l.* 1. *§. cura vel de off. præf. urb.* natura rei, habita conſideratione qualitatum temporis, loci diſtantiæ, perſonarum, onerum, & ſimilium, non ex affectu ſingulari definitus fuerit. *DD. in l.* 2. *C. de reſt. vend. Menoch. conſ.* 1169. Solent enim in nundinis à magiſtratu loci pretia cambiorum pro omnibus civitatibus & locis in quibus negotiatio cambiorum nundinalium exercetur imponi, & quidem eam ob cauſam, 1. ne ex mercatorum factoribus, ut vocant, qui ſolutiones recipiunt, unus majori, alter minori pretio ad eandem civitatem remittat, & proinde mercator cui remitteretur, pro minori collybo de ſuo inſtitore, quòd negotium ſuum non diligentius tractaverit, conqueratur. 2. Ut cambiorum non nundinalium pretia, quæ ex contrahentium arbitrio dependent, regulentur & conſtituantur ad normam & formam pretii in nundinis publica autoritate determinati. Publica autem hæc taxatio non celebratur eum in finem, ut contrahentem ad hanc taxationem præcisè obliget, & ad obedientiam aſtringat; ſed ut ſuadeat ſaltem, & juſtitiæ viam magis tritam monſtret; cætera ratione circumſtantiarum, quæ ſingulis ferè momentis variant, adeoque perſonalia, de quibus legiſlator civilis diſponere nequit, ſed potius libero contrahentium arbitrio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 J 64

bitrio relinquit. Mercatores igitur conſideratis omnibus circumſtantiis de juſto collybo inter ſe conveniunt, qui tamen ad exactam illam & mathematicam æqualitatem, quæ vix ſcrutari poteſt, non eſt determinatus; ſed in quadam latitudine conſiſtit; ita, ut modica additio & diminutio qualitatem juſtitiæ tollere non videatur ut loquitur *D. Thom. 2. 20. 77. art. 2. ad pr. Ariſt. lib. 2. Eth. 6.* Nam propter naturam rerum & conditionẽ ſortis humanæ juſtum non ita præciſè accipi poteſt, ſed civiliter, ut liceat aliquando carius aliquando vilius contrahere. *Struv. Ex 23. th. 20.* Hac occaſione remiſſivè lubet quærere; Num minus dare pro cambio longè ante nundinas, & plus dare proximis nundinis, ſit ſignum indubitatum injuſti pretii? *Videſis Hieron. de Luca hîc cap. 4. n. 24. Marquard. d. l. 2. c. 12. n. 43.* Qui id negant.

X V I.

Hactenus de forma ſubſtantiali. Accidentalis verò conſiſtit, 1. in literarum cambialium ſcriptione ſeu confectione, 2. in tranſmiſſione, 3. Præſentatione; 4. Recognitione & acceptatione. Quod ad confectionem literarum attinet: deſcribi poteſt epiſtola cambialis, quòd ſit privatum inſtrumentum à traſſante ſcriptum & ſubſcriptum, expreſſa duplici ſumma ſolvenda, altera, notis ſeu ciphris (Rtt. 900.) altera, ad tollendas falſificationes, quæ facilè in notis ſeu ciphris fieri poſſunt, in forma extenſa (Reichsthaler Neunhundert) perſcripta, tempore quo ſolvendum eſt adjecto, cum mandato de ſolvendo, ſubjecta clauſula imputationis. Ad declarandam hanc qualem qualem literarum cambii deſcriptionem, ut tota res clarior fiat, formulam ſubjungere, eamque declarare, lubet.

Laus Deo; Anno 1635. Den 6 Juny.

In Lübeck Reichsthal. 900. *In ſpecie.*

Ehrenveſter und fornehmer Herr / Acht Tage Nachſicht /

(vel

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 J 64

(vel à uſo, vel etiam uffſicht / ſeu quod idem eſt, ſo balden Nachſicht) geliebe demſelben zubezahlen dieſen meinen ſola (interdum prima, ſecunda, tertia) Wechſelbrief / an Herren N. N, oder ſeinen commiſs, Reichstahl. Neunhundert *in ſpecie*, den wehrt alhie empfangen / (interdum des wehrts bin ich verſichert) thut gute zahlung / und ſtelts auf Rechnung / (oder conto) laut aviſo. *Adio.*

E. L. D. W.

N. N.

Dicitur (*Laus Deo*) & inde quæro: An nomen Domini, ſeu Dei, in literis cambii neceſſariò ſit præmittendum? De conſuetudine affirmant *Scacc.* §. 1. *gloſ.* 1. *n.* 1. & 2. *Emer. à Rosbach. praxi civil. tit. d. inſtrum.* 63. *n.* 5. & illa conſuetudo nititur conſtitutione Imper. Maxim. in com. Colon. A. 1612. promulgata, §. Und nachdehm / ita legitur Nemlich / daß im anfang nach Anruffung des Gottlichem Nahmens / ꝛc. Negant autem de Jr. Juſtinianeo *Vngepaur exerc.* 1. *q.* 1. *Alciat. l.* 9. *parerg. c.* 0. & *multi alii*. Ulterius habetur (den 6 Juny / Anno 1635.) An igitur dies, menſis, & annus in privatis inſtrumentis & ſic in literis cambii neceſſariò ſit apponendus? Affirmatur eo caſu, ubi de certa ſcientia temporis agitur; v. c. de jure πρωτοπραξίας, de concurſu creditorum expreſſam hypothecam habentium, & de prioritate litigantium ibi temporis mentio facienda eſt, *Godofred. ad l.* 34. §. 1. *de pig. & hypoth. lit.* Alias de jure omiſſio temporis privatum inſtrumentum quale eſt cambium, non vitiat. *l,* 34. §. 1. *de pign. & hyp.* exceptis rationibus, quibus dies eſt apponendus. *Fr. Mun. de Eſcob. de ration. adminiſt. c.* 10. Conſuetudine tamen adjungi poteſt. Verba (in Lübeck) præbent cauſam quærendi: An locus neceſſario ſit exprimendus? *Reſp. Scacc. d. l.* §. *gl.* 2. *n.* 5. Loci expreſſionem non eſſe neceſſariam, ſed laudabili ſtylo & ad majorem cautelam ſolere exprimi. Deinde ſequuntur verba

(Acht

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 J 64

(Acht Tage Nachſicht) quibus verbis indigitatur, quando ſolutio ſit facienda: ante tempus n. ſolutione facta damnum eſſet ſolventis, ſi interim præſentans foro cederet *vid. inſr. th. 23.* Quando v. dicitur [uffſicht/ oder ſo balden Nachſicht.] *Italicè à lettera viſta*, denotant, quòd ſolutio ſtatim præſentatis literis ſequi debeat. [*A uſo*] ſignificant inſtituendam eſſe ſolutionem juxta conſuetudinem loci, quæ vel autoritate publica, vel à maxima parte mercatorum eſt determinata *uti dixi. ſupr. th. 10.*

Porrò ponitur [dieſen meinen ſola, interdum prima, ſecunda, &c.] & quidem prima, ſecunda, quia ſæpius contingit, ut caſu literæ pereant, ne itaque creditor privaretur executione & probatione conventorum, mos ille duxit originem duplicandi triplicandi &c. literas, adjecta nota in ſingulis earum uti ſolet idiomate Italico: *per queſta prima, ſecunda, è terza di cambio*: dicitur v. dieſen meinen ſola, quando una tantùm data eſt. Cœterum pluralitas literarum non nocet Traſſanti, quòd toties etiam poſſit exigi ſolutio, ſed unicis præſentatis reliquæ nullam vim habent. *Scacc. d. l. §. 7. gl. 6. per tot. & §. 1. q. 5. n. 73.*

Verba an H. N. N. oder ſeinen commiſſ. ideò adjungi ſolent, quia Remittens poteſt ſemper in locum ſolutioni deſtinatum, vel planè non, vel non conſueto tempore venire, & ideò vice ejus alium ſpecialiter ſubſtituit, cui ſolutio fiat. Certum enimeſt circa recipientem literas, quòd procuratori generaliter conſtituto pecunias ad Cambium recipiendi facultas non ſit facta, mandatum n. & præpoſitio ſunt ſtricti juris, quæ, ad alias cauſas ſive perſonas extendi nequeunt *l. 5. mand. cap. 27. x. de reſcript. Stypman. de jr. marit. & nautico p. 4. c. 8. n. 102.* Formula commiſſionis ſeu mandati talis eſſe poteſt (der herr geliebe dieſen Wechſelbrief zu zahlen an herren N. N. meinen commiſſ. ſolmir gute zahlung ſein/ und pfleget ſolches zuruck des Wechſelbriefes geſetzet zu werden.

Annectuntur verba (Reichsthaler Neunhundert in ſpecie) & quidem in forma plena & extenſa, ut cavillationibus & frau-

 dibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 J 64

dibus eximantur, quibus notæ & ciphræ ſunt ſubjectæ : ideò-que ſupra, notis ſeu. ciphris, (900 Reichſtahler) infra, plenè (Reichsthaler Neunhundert) ſcribuntur *Ioh. Mart. Vogt. hic theſ. 7. p. m. 93.* Verba den wehrt alhier empfangen, Italicè *par la valuta havata, de contanti*) denotant campſorem, ſummam in literis expreſſam à Remittente jam accepiſſe; verbaque illa eandem vim habent, ac ſi reapſe ſolutio facta eſſet, ita, ut non poſſit opponi exceptio non numeratæ pecuniæ, quod in civitate Genuæ quotidie practicatur. *Scacc. §. 2. gl. 8. n. 6. Rot. Genu. deciſ. 44. inf. & ex Ioh. Mr. Vogt. h. theſ. 7. de quo infra.*

Quando autem adjicitur, (des wehrts bin ichverſichert) tunc non ſolet eſſet numerata pecunia, ſed ſpe futuræ numerationis literæ confectæ ſunt, tamen ſolutionem acceptans idcirco differre nequit.

Præterea verba, (Stellet es auf rechnung Ital. *ponete à noſtro conto*) continent mandatum campſoris, ut ſolutam ſummam in libros ſuos rationum, quas cum Traſſante habet, redigat. Videntur quidem ſuperflua; quia ex natura mandati mandatarius habet act. mandati, ex eo, quòd ſolvit mandato ipſius campſoris. *l. 16. & 45. mand.* ſed ſolent ideò apponere, ut habeant expreſſam obligationem & inde ſequentem paratam executionem, quam non haberent omiſſis illis verbis *Scacc §. 2. gl. 9. n. 3. & 4.*

Subjungitur, (laut *aviſo*) quia præter literas cambiales, de quibus hactenus dictum, ſolent ad mandatarium, qui ſolvere debet, literas intimationis, quas vocant *d' Aviſo*, mittere, affore aliquem, qui literas cambii oblaturus, & juxta eas exacturus ſit, cumpetitione, ut illis ſatisfacere velit; formulas literarum cambii Italico idiomate habent *Scacc. §. 5. q 5. n. 77. Rot. Gen. deciſ. 142. n. 3. & Raphaël de Turr. diſp. 2. q. 1. §. 11. & ſeqq.* in vernacula noſtra *Fr. Stypman. d. l. p 4. c. 8. n. 66. & ſeqq.* ex quo unam hic apponere placet compoſitam ad formulam literar. cambialium ſupra relat.

Laus Deo. Anno. 1635. den 6. Junii in Lübeck.

Ehrenveſter/ vorgeachter/ ſonders gunſtiger Herr/ diſſ wenige

allein

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 J 64

allein Zu *Aviſo*, das per wechſel auf ewer L. genommen Acht Tage Sicht zu bezahlen an N. N. Reichſtal. Neunhundert in ſpecie Alpari gewechſelt. Bitte meinen Brieffen gebürliche genüge zu thun / vnd dieſelbe auf mein conto zu ſtellen / das hinwieder zu verdienen geneigt / wormit freundlich gegrüſſet / und Gott zu Gnaden befohlen.

E. L. D. W.

N. N.

Cœterum hæ literæ intimationis adeò neceſſariæ ſunt, ut etiam fundamentum acceptationis ſint. Sine illis n. nemo jure tenetur cambium acceptare, niſi in honorem ſcribentis. *Joh. M. Vogt. d. l. theſ. 7. p. m. 96. de quo infra.* Notandum tamen quòd vigore harum literarum non fiat ſolutio, ſed per literas cambii: epiſtola n. ſcripta ad narrationem ſubſequentis facti non inducit obligationem. *Ant. de Gamma deciſ. Luſit. 336. n. 4.*

(*Adio*) ſonat idem, quòd Gallis *Adieu*, Germ. Gott befohlen.

Tandem ſequitur (N. N.) An igitur de neceſſitate requiritur ſubſcriptio campſoris? Aff *argum. Novell. 107. cap. fin. l. 4. §. 1. de publican. & vectig. l. 31. C. de donat.* Affixio ſigilli v. non eſt neceſſaria *l. 34. §. 1. inf. de pign. & hypoth.* quamvis alias ſignatura pares cum ſubſcriptione in jure habeat effectus. *c. 2. X. de ſolut.* in cambiis tamen nuda ſubſcriptio reddit ſcripturam authenticam. Præprimis obſervandum, ne vitium aliquòd extrinſecus appareat, uti raſura & deletio; neque in ſubſtantialibus ita corrupta, ut intelligi nequeat, *arg. l. 42. ad L. Aquil. l. 16. §. 2. l. 23. ad L. Corn. de falſ.*

XVII.

Satis jam de ſcriptura & confectione literarum cambialium; ſequitur transmiſſio. Quamprimum igitur campſuarius literas cambii accepit, mittit illas ad locum, ubi ſolutio eſt facienda, ſi ipſe illum non poterit adire, ubi commiſſarius ſeu præſentans

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 J 64

acceptis à Remittente literis, ei qui ſolvere debet, factor ſeu inſtitor campſoris ſcilicet, & quidem in non nundinalibus ſtatim, ut ille qui acceptat, majorem commoditatem ad perficiendam ſolutionem inde haurire poſſit; in nundinalibus intra terminum, autoritate publica, vel conſenſu mercatorum aut conſuetudine loci approbatum, præſentat. *Scacc d. l. §. 1. q. 5. n. 75. Raph. de Turri d. l. diſp. 2. q. 2. n. 12.* Si enim committens literas ſimpliciter ſeu tacens recipit, neque iis contradicit, cenſetur munus, de quo in literis mentio injecta, ſuscepiſſe, & ſi negligenter negotium & præſentationem tractaverit, ſuperſederitque terminum præſentationis, ad intereſſe, quod huic actioni congenitum, tenetur: & hoc Stylo Germaniæ convenire dicit, *Ioh. M. vogt. d. l. theſ. 7. p. m. 99.* Dan / ſagt Er / wen der yenige / dem die remiſſ. geſchicht / den traſſierten Wechſelbrief alſo ſtilſchweigend ohne contradiction vf ſich nimt / ſo iſt Er auch Krafft des alſo uf ſich genommenen / darin begriffenen mandati, demſelben zu gebürender zeit zu præſentieren / die darin bemelte ſumm zu foderen / und uff den unverhofften fall / nicht beſchehener acceptation, oder zwar beſchehener / aber verweigter zahlung zu proteſtiren / oder den daher endſpringenden Laſt zu tragen ſchuldig. Dan Er / (der præſentant) hat ſeinen preſentierungs termin von dem uſo ſelbigen ohrts geſetzet / welchen Er genaw beobachten muß / und im geringeſten nicht vberſchreiten kan / ſondern / ſo er lenger wartet / und indeſſen der acceptant fallirte, ſo iſt der Geber des wechſelbriefes ledig / und mag ſich der præſentant an den acceptanten ſo gut er vermag halten.

XVIII.

Facta præſentatione, factor ſolet recognoſcere manum & ſcripturam literarum, eaque ſatis perſpecta, literas acceptare. Recognitio autem fieri ſolet non adhibitis teſtibus, qui fuerunt præſentes cùm ſcriberentur, ſed tantùm, qui notam manum ex characteribus & ſignis literarum habeant *Maſcard. de probat. concl. 988. n. 4. Burſat. conſ. 103. n. 9.*

XIX

XIX.

Diximus recognitionem ſequi acceptationem. Acceptatio autem fieri ſolet, vel in Nundinis, vel in aliis Plateis. I. In Nundin. fiunt coram conſule ab omnibus mercatoribus in propriis libris, tam creditoris, quàm debitoris, quod præcipuè obſervatur Genuæ, referente *Scacc. d. l. §. 2. gl. 4. n. 19.* II. In aliis Plateis, vel expreſſè, vel tacitè. 1. Expreſſè, & hæc, vel ſcrpto, vel ſine ſcripto. *a.* Sine ſcripto, vel oraliter, vel per teſtes. *α.* Per teſtes fit, adhibitis teſtibus. *β.* Oraliter, ſeu verbis ore nuncupatis, & quidem unico verbo (*Accepto*) articulatè prolato. *b.* Scripto fit acceptatio, quando maioris ſecuritatis ergo inſtrumentum conficitur. Et hoc dupliciter, vel publico, vel privato; *α* publico, quod à notario adhibitis teſtibus conficitur ex decreto Senatus Lipſienſ. die 10 April. 1652. quod Elector die 22. ejuſd. menſ. confirmavit: cujus decreti tenorem vide apud *Vogt. d. l. theſ. 7. p. m.* 103. *β.* Privato, quando acceptans ſcribit, ſe ſummam in literis expreſſam ſoluturum. Vid. formulam inſcriptionis privatæ Ital. idiomate. *in deciſ. Rotæ Gen. dec. 45. inpr. his verbis: à di predetto 10. Gioan. Giac. Salinero accetto di pagare li ſopra detti ſcuti in Milano à di 20. di Genaro proſſimo futuro, ſenza alcuna contradittione*: quæ, quia facilè intelligi poſſunt, latina civitate donare superſedemus.

2. Tacitè fit acceptatio, per receptionem, & tacitam retentionem literarum; qui n. recipit literas, nec iis contradicit præſumitur omnia approbaſſe in illis contenta, ut probant, *Rot. Gen. deciſ. 133. n. 2. Pariſ. conſ. 5. lib. 4. n. 206. Scacc. d. l. §. 2. gl. 5. n. 336. Stat. Hamb. art. 6. tit. de camb. Marquard. d. l. 2. c. 12. n. 76. Stypman. d. l. n. 85.* Et hæc tacita acceptatio fit in propriis cambii literis, non in iis quas vocant d'Aviſo. *Scacc. d. l. n. 337.*

XX.

Acceptatio v. fit vel purè, vel ſub conditione. Purè, quando ſine ulla conditione ſimpliciter inſtitor ſeu. factor ſe obligat

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 J 64

præſentanti ad ſolvendum, etiamſi nullam certam debendi cauſam exprimat. Nam perinde eſt, ac ſi ſolenni ſtipulatione ſe ad ſolvendum præſentanti aſtrinxiſſet, eo ipſo quo acceptat. *Marquard. d. l. c. 12. n. 84. & ſeqq. Rot. Gen. deciſ. 168. n. 2. & 104. n. 9.* Si igitur factor literas acceptat, & poſtea foro cedit, non datur regreſſus ad Traſſantem; ſibi enim imputare debet, quòd inſtitoris fidem ſecutus debitorem delegatum admiſit. *l. 26. §. 2. Mand. l. fin. C. ad. L. Falcid.* & tacitè quodammodo debitoris & loci novationem fecit. *Vincent. de Franch. conſ. Neap, deciſ. 303. p. tot. Marquard. d. l. c. 12. n. 84. & ſeqq. Stypman. d. l. n. 89.* Niſi. 1. ſcribens expreſſè promiſerit, ſe curaturum, ut danti certò ſolvatur pecunia. 2. Niſi obſervantia ſit contraria uti Genuæ. *Rot. Gen. deciſ 2. n. 41. deciſ. 8. n. 17. Ianua de ſcript. priv. q. 6. n. 76. Stypm. d. l. n. 92.* Ampliatur, etiamſi campſor ſtatim poſt acceptationem decoxerit, imò etiamſi decocturus fuiſſet ante ſcriptas literas: aut n. ſcivit decoctionem, & ſibi imputet, qui ſciens prudensque ſibimet ipſi voluit nocere: aut ignoravit, & nec hoc modo excuſatur, quia contraxit cum eo cujus conditionem non debebat ignorare. *l. 20. de R. J. Stypm. d. l. cap. 8. n. 80. & ſeqq.* ſemel enim acceptando eas approbavit. *l. 9. d. neg. geſt.* & agnoviſſe cenſetur ſummam, cujus mentio in literis fit. *arg. l. 10. ad Sc. Maced. l. 1. §. 5. de exerc. act. l. 1. Quando ſit appell. Cœpoll. conſ. 9. n. 1.* An autem facta acceptatione & nondum ſecuta ſolutione, Traſſans ſit liberatus à Remittente, ita ut amplius non habeat regreſſum contra ipſum? Neg. debitor enim manet adhuc obligatus, ideò, quia ſola acceptatio non eſt novus contractus literar. cambialium, neque creditor acquieſcit acceptationi, niſi quatenus ſequatur ſolutio: creditor quippe non habens fidem de pretio literar. acceptatarum, non liberat ſuum debitorem, æquè ac is, qui vendit, non habita fide de pretio, retinet dominium rei venditæ *§. venditæ Inſt. de rer. diviſ. &c,* niſi creditor dederit acceptanti aliquam dilationem, & is interim decoxerit, tum Traſſans eſt liberatus. *Rot. Gen. deciſ. 2. per tot. deciſ. 8. 17. & 18. ubi dicit, hunc eſſe Stylum & conſuetudinem*

mer-

mercatorum, quæ attendenda ſit in cauſis mercantilibus. Marquard. d. l. c. 12. n. 55. Raph. de Tur. diſp. 2. q. 12 p. tot. I. M. Vogt. d. l. theſ. 7. p. m. 102. Conditionata acceptatio eſt, quæ ad tempus dilata, v. c. Wan die *retour* ankommen/ reumque obligare nequit, *ſi merces transmiſsæ non ſint liberæ*, ſo fern die retour oder wahren nicht frey oder ſufficient zur bezahlung. Idcirco in tali caſu, proteſtu opus eſt, & tunc datur regreſſus ad Traſſantem, ut ſolvat cum intereſſe: ſine effectu autem eſt, ſi præſentans proteſtatione facta, ad non acceptantem velit recurrere, qui ſibi tum imputet, ſi propter hoc damnum ſentiat.

XXI.

Sicut autem nemo præſentare poteſt, niſi Remittens, vel ejus commiſſarius; ita nemo acceptare poteſt, niſi is, cui Tracta facta eſt, in tantùm, ut nullus alius hoc poſſit, quicunque etiam is fuerit, ne quidem pro honore literarum. An igitur miniſter ſeu ſervus mercatoris, ſine mandato domini, literas cambiales acceptare in præjudicium domini ſcilicet, poſſit? Negatr. ſervus n. juxta Stylum mercantilem, ut loquuntur, ſine ſcripto mandato cambium in dominum directum, acceptare nequit, & ſi invito domino id fecerit, acceptatio domino non præjudicat, nec ipſum ad ſolvendum, ſed potius ſervum aſtringit, ut de caſu incidenti reſponderunt mercatores, quorum ſententias, ſeu, uti vocant, Parer, refert, *Vogt. d. l. theſ. 7. p. m. 105. & ſeqq.* & id probat quoque *Stat. Hamb. p. 2. t. 7. art 8.* Wan ein diener ohne ſchriftliche vollmacht und inſtruction einen Wechſelbrief/ der an ſeinen Herren conſigniret, acceptiret, ſo iſt der H. demſelben zu bezahlen nicht verbunden.

Nemo autem acceptare tenetur literas, 1. niſi ipſum certiorem reddiderit, unde ſtipendium ſeu proviſionem, ut vocant, & ſolutionem ſummæ cambiatæ exſpectare debeat, quod Stylo mercantili ſic effertur: Wan ihm nicht die dazu gehörige proviſion verſchaffet/ und wo er ſich der wiederzahlung zu revalieren habe/ wird verſtändiget. Proviſio autem eſt, ſtipendium ſeu merces, quæ datur, vel ratione ſolius laboris,

vel

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 J 64

vel periculi, vel utriusque, mandatario ſeu acceptanti literas cambii. *Rot. Gen. deciſ. 16. n. 11. & deciſ. 30. n. 2. Scacc. §. 3. gl. 3. n. 11. & ex eo Marquard. d. l. n. 78.* Et licet illa ſtylo mercatorum debeatur, etiam non expreſſè promiſſa, ad majorem tamen cautelam ſemper à mercatoribus aſſignatur, citra quam non tenetur mandatarius literas acceptare, uti dictum. *Marquard. d. l. n. 86. Scacc. d. l. n. 2.* An autem bona conſcientia accipi poſſit, valdè dubitatur? Aff. Mercenarius quippe dignus eſt mercede ſua, & mercator pro quacunque re, cauſa vel operatione, maximè pro periculo, poteſt accipere modicum lucrum. *Scacc. d. l. n. 7. Marquard. d. l.* Tantam autem debere proviſionem, quantam laudabilis mercatorum uſus, vel ſanum peritorum judicium approbavit, vult *Rot. Gen. deciſ. 30. n. 2. Scacc. d. l. n. 3.* 2. Non tenetur acceptare mandatarius, niſi ſimul miſſæ ſunt literæ intimationis à campſore, quas d'Aviſo vocant. *Scacc. §. 2. gl. 5. n. 399. verb. & mercatores.* 3. In nundinis Francofurt. ad Mœnum, nemo jure tenetur ſummam in literis tranſcriptam acceptare ehe und befohr daß Nürenberger gelaid ankommen. *Vogt. d. l. theſ. 7. p. m. 102.*

XXII.

Acceptat autem, vel ſimpliciter, cui Tracta directa, & res plana eſt; vel eam recuſat, tum præſentator tenetur proteſtum elevare, præſente notario & teſtibus, qui deſuper conficit inſtrumentum, quod remittitur ad campſuarium, ut pecuniam ſolutam à campſore unâ cum damno & intereſſe repetere poſſit. Hoc caſu tamen in honorem ſcribentis, & ut Galli vocant, *par honneur de lettre*, alius ſeu tertius literas etiam ad ſe non directas acceptare, ſolvere, & ſolvendo obligat. & actionem ex geſto negotio contra Traſſantem ſibi acquirere poteſt. *Rot. Gen. deciſ. 6. n. 7. & deciſ. 32. n. 1. Statut. Hamb. d. l. art. 9.* his verbis Wan ein wechſelbrief præſentiret und von demſelben nicht acceptiret iſt / mag der dritte / zu Ehren deſſen der den wechſel außgegeben / acceptiren &c. hat Er die action gegen den debitorem. Si verò is ad quem literæ directæ ſunt, accepta

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 J 64

acceptationem non planè recuſat, ſed eas recipit cum proteſtatione, quaſi diceret non accepto mandatum, prout in literis continetur, ſed in honorem ſcribentis (ihn bey Ehren und credit zu erhalten) ut obligatum haberem ipſum ſcribentem, non eum, quem mihi vult delegare. v. c. Titius mercator Bremenſ. ſcribit factori ſuo Francofurt. Sejo, ut ſolvat Cajo 900. Imperial. eamque ſummam aſſcribat rationibus mercatoris Sempronii: Sejus autem, vel quia Sempronium non novit, vel quia ſuſpectæ fidei eſt, ipſe literas acceptat, non ſimpliciter, ſed in honorem ipſius Titii, ut ſcilicet ipſum, non Sempron. pro debitore habeat. *Rot. Gen. deciſ.* 32. *n.* 1. *& 2. per l.* 39. *de neg. geſt. Marquard. d. l. c.* 12. 45. *Scacc. §.* 2. *gl.* 5. *n.* 358. Verùm acceptans literas cum proteſtatione & pro honore literarum ſolvens, non tenetur ſcribentem de eo certiorum facere, nec propterea poteſt actione mandati conveniri; ſi exinde damnum habet, cum enim ſcribentis nondum interſit; & ipſi potiſſimum incumbat, in conditionem perſonæ cum qua contrahit, & rei ſuper qua agit inquirere, debetque ſibi imputare ſi exinde detrimentum habet. *l.* 19. *&* 203. *d. R. J. Scaffhuſ. d. l. th.* 24. Ratio autem quare tertius, vel etiam ipſe factor acceptare, & cum proteſtu ſolvere poſſit, hæc eſt, quòd mercator ſolvendo debitum Titii, liberat eum à Cajo creditore, & præſervat ipſius honorem & fidem, ne cum dedecore & opprobrio literæ proteſtatæ redirent, & ingens damnum debitori Titio inferrent. *Rot. Gen. d. deciſ.* 19. *n.* 4. *& deciſ.* 6. *n.* 7. *Scacc. §.* 2. *gl.* 5. *n.* 358. *& ex eo Vogt, d. th.* 7. *p.* 182. At ſi nec tertius, nec ille ad quem literæ ſunt directæ, eas acceptaverit, præſentator intra fatalia ſupra dicto modo proteſtum elevare, & literas ad campſuariũ remittere tenetur, eum in finem, ut ſummam in literis, contentam à campſore repetat; uti in principio theſ. dictum. *Scacc. §.* 2. *gl.* 5. *n.* 316. *& §.* 7. *gl.* 2. *n* 16. *Statut. Genu. lib.* 1. *c.* 4. *Stat. Hamb. d. l. art.* 2. Si verò labi fatalia proteſtationum paſſus fuerit, perdit cambium, ſi ad eum ſpectat cui ſolvi debet; ſi verò ad alium, tenetur ei, non tantùm de cambio, ſed etiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 J 64

de futuro intereſſe *Scacc. d. l. n. 319. Stat. Hamb. d. l. art. 4.* Cujus rei ration. *vid. ſupra theſ. 7. verb. cum n. committens.* Fatalia autem proteſtationum pro locorum diverſa conſuetudine variant, & Hamburgi 12. Genuæ triginta dies, conſtituti ſunt, intra quos proteſtari adhuc poteſt, poſtea illa inanis eſt, niſi feriati dies interceſſère, quibus fatalia non currunt. *Stat. Hamb. d. l. art. 4. J. M. Vogt. d. l. theſ. 7. p. m. 99.*

XXIII.

Acceptationem è veſtigio ſequitur ſolutio, quæ juxta diſpoſitionem literarum deſtinatur. Variè autem ſolent poni termini ſolutionum literarum cambialium, & quidem. 1. ſi ſimpliciter dicitur, ſolvite, (Italicè pagate) ſolutio ſtatim ſine dilatione facienda eſt, *Scacc. d. l. §. 2. gl. 5. n. 4.* 2. Quando verò habentur hæc verba, ſo balden Nachſicht ſive Vffſicht (Ital. pagate à lettera viſta) celerior quam in præcedenti caſu injuncta videtur ſolutio, eaque expedienda ſtatim atque literæ ſunt præſentatæ. *Vincent. de Francb. deciſ. 303. in pr.* 3. Si conceptæ ſunt à uſo, ut loquuntur, vel ut Itali à ſuo tempo, ſolutio deſtinata eſt ad conſuetudinem platearum in quibus fiunt cambia. *Rot. Gen. deciſ. 32. n. 5. Scacc. d. l. n. 8.* 4. Interdum in literis eſt aſſignata aliqua dilatio conſenſu partium inita, & ſolutio inſtituenda eſt tempore convento. *Scacc. §. 1. q. 5. n. 43.* 5. Certus dies ſolutioni ſolet communiter præfigi, v. c. acht Tage ſicht/ ſtatim quidem cedit dies, ſed antequam quoque venerit exigi nequit ſolutio invito factore, nec ille ante adventum diei jure ſolvit, quod ſi facit, & interim foro cedit præſentans, periculum eſt ſolventis, nec habet regreſſum contra Traſſantem, ſed præſentantem duntaxat convenire poteſt. *Marquard. d. l. c. 12. n. 69. Vogt. d. l. theſ. 7. p. 100. Stat. Hamb. d. l. art. 10.* cujus verba aſſcribere operæ pretium eſſe videtur. Es ſoll niemand einigen Weckſelbrief betzahlen / ehe und befohr derſelbe betaget; den da es ſich begebe / das derſelbe / an dem die Bezahlung fohr der zeit beſchehen / im-

mitteſt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 J 64

mittelſt fallirte/ auff ſolchen Fall iſt ſolche Bezahlung zum Nachtheil deſſen/ der den Weckſelbrieff bezahlet.

Cæterum cambia nundinalia ratione ſolutionis tribus modis conſiderari poſſunt. 1. Quando cambium tranſcribitur ex nundinis ad locum, v. g. Francofurto, Bremam, quod cambium vocatur de reditu feriarum; & iſto caſu dilationes pro ſingulis civitatibus & locis, in quibus fit negotiatio cambiorum, ſunt diſtinctè ordinatæ in capitulis feriarum. Ejus rei catalogum vide apud *Scacc. d. l. §. 2. gl. 5. n. 12. J. M. Vogt. th. 3. p. m. 51. & de eo dict. ſupr. th. 10.* 2. Modus eſt, quando ex loco pro nundinis v. c. Lipſienſibus, ſeu alterius loci contrahitur, & diſtinguendum: aut is qui ſolvere debet non eſt Bancherius, & intra octo dies ſolutio eſt inſtituenda: aut eſt Bancherius, & tunc latius diſtinguunt capita feriarum Genuenſium, *n. 13. quæ vide.* 3. Quando cambium contrahitur ex nundinis unius loci, ut ſolvatur in nundinis alterius loci: puta, contrahitur Strasburgi in feriis novi anni, ut ſolvatur Francof. in feriis vernalibus, & iſto caſu idem obtinet, quod in præcedenti, quia in effectu ejus ſolutio eſt deſtinata ad nundinas, & ita Genuæ obtinere refert. *Scac. d. l. n. 14. & 15.*

Reliqua quæ de ſolutionibus cambii tractantur apud interpretes, pertinent ad locum communem de ſolutionibus.

XXIV.

Formam modo explicatam excipit finis cambii, qui vel eſt principalis, vel minus principalis. Principalis eſt, publica utilitas, videlicet commune mercatorum bonum, quo facilius mercimonia exerceri poſſint. Cum enim commerciorum, bellorum, ac peregrinationum frequentia, ſæpius exigeret, ut quis neceſſariò egeret pecunia in loco diſſito ab illo, ubi eam habebat, cujus tranſportatio realis, vel erat onerofa, vel propter inimicorum, hoſtium, latronumve itinera obſidentium rapacitatem ſuſpecta, & propter maris inconſtantiam infida, cambiorum compendium introductum

 eſt,

eſt, ut illa omnia ſublevaret. *Raph. de Tur. diſp.* 1. *q.* 3. *n.*2. *Stypm. d. l. n.* 6. Minus principalis eſt privata utilitas, quam ex numiſmatum commutatione percipiunt, quæ utilitas ipſis non eſt invidenda, dummodò pretium juxta modum *theſ.* 12. in fine præſcriptum indicatur; datur enim mercatoribus aliquid pro præſtito officio, tum propter ſumtus, quos in miniſtros ſuos alibi degentes impendunt, tum propter faſtidia conſcribendarum literarum, & ſolutionis alibi faciendæ onera. Labor enim non vilioris eſt pretii, quā pecunia. *l.* 5. §. 1. *l.* 29. *pro ſocio*, imò aliquando pretioſior *arg. l.* 10. §. *fin. d. pœn.* Ideò licet pro induſtria præmium petere *l.* 40. *locat.* & accipere *l.* 1. §. 5. *d. extraord. cogn.* præſertim cum ſollicitudo magis æſtimetur. *l.* 4. *ad Sc. Treb.* & periculum pretio atque intereſſe par cenſeatur. *l.* 4. & 5. *d. fœn. naut. Stypm. d. l. n.* 9. & *ſeqq.*

X X V.

Hucuſque cambii cauſam efficientem, objectum, formam & finem perſpeximus: methodi ratio jam poſtulat, ut ejuſdem etiam effectus contemplemur. Hi verò ſunt, vel primi, vel inde orti. I. Primns effectus eſt obligatio, quæ ex cambii contractu oritur. Obligatur enim 1. campſor pecuniam quam à remittente accepit alibi reſtituere. 2. Campſuarius pecuniam campſori ad cambium ſtatim tradere, vel conſentiente campſore promittere futuram ſolutionem, adjecto pro præſtita opera collybo. 3. Procurator, remittentis literis cambii receptis, intra fatalia præſentare, ſolutionem urgere, eaque deficiente, proteſtum elevare, & deſuper per notarium inſtrumentum conficere, & ad principalem remittere, ut is pecuniam ſolutam à campſore exigere poſſit. 4. Factor, vel inſtitor, præſentatis literis, eas recognoſcere, deinde acceptare, & denique ſolutionem juxta normam & præceptum literarum cambialium facere; de quibus ſatis ſuperque egimus.

XXVI.

Accedimus jam ad effectum ortum, qui in actione conſiſtit. Actio autem quæ ex hoc contractu oritur, dicitur ex Cambio: eſtque duplex, directa, vel contraria.

I. Directa datur ratione cauſæ proximæ, ſi loco convento non fuerit ſoluta ſumma in literis cambii contenta. Datur autem 1. Remittenti, 2. mandatario, 3. eorumque hæredibus, quibus certo loco aliquid debetur, id, quod ratione illius loci intereſt, perſequentibus: contra 1. Campſorem, qui certo loco ſe daturum aſtrinxit, ſolutionem tamen promiſſo modo non præſtitit, 2. fidejuſſorem, conſtituentem, vel alium, obligationem ejus in ſe ſuſcipientem, 3. eorumque hæredes, ut ſummam debitam in literis cambii expreſſam cum omni damno & intereſſe reſtituant.

II. Contraria datur 1. campſori, qui pecuniam campſuario alio loco ſolutam, ejus fidem ſecutus, nondum recepit, 2. ejuſque hæredibus; contra Remittentem ejuſque hæredes, ad id, ut ſummam in literis contentam, quam ad preces Remittentis alio loco ſolvi fecit, cum debito intereſſe à tempore moræ unâ cum collybo conſequatur. Intereſſe autem judex ad pretium, quod tum temporis ubi facienda erat ſolutio, & eo loci à quo ipſæ literæ proceſſerunt, currit, reducat. Præter intereſſe repetit quoque impenſas hac actione, quo nomine veniunt omnia ea, quæ occaſione cambii contigerunt: qualia ſunt præter alia proviſiones, proxeneticum, quod proxenetis tanquam merces pro labore præſtatur. *Raphael de Turri diſp.* 2. *q.* 13. *& ſeqq.* Hac actione agit quoque Remittens ad repetitionem ſummæ numeratæ, ſi literæ amiſſæ fuerunt, antequam pecuniam cambiatam accepimus à Recipiente, præſtita ſatiſdatione, ut ſi reciperentur, & ſuper iiſdem in loco contractus ſolutio fieret, indemnis eſſe debeat Campſor. *Gail.* 2. *obſ.* 37. *n.* 8. *Vincent. de Franch. deciſ.* 498. *n. f. Stypm. d. l. n.* 76. *& ſeqq.* niſi diſſimularetur amiſſio, *Bernh. Grava.* 2. *concl.* 37. *n.* 2. cur autem ſatiſdatio de indemnitate

ſit

ſit præſtanda *Vid. infr. theſ.* 32. *in f.* & *Scacc.* §. 2. *gl.* 5. *n.* 354.

XXVII.

Habet autem hæc act. celerrimam executionem, contra quam nulla poteſt opponi exceptio, niſi ſolutionis, præſcriptionis & doli mali, vel quod non ſit manus illius qui aſſeritur ſcripſiſſe. *Scacc.* §. 7. *gl.* 5. *n.* 3. & *ſeqq. Receſſ. Imp. de* Anno 1654. *Verb.* Als auch bey den Handelsleuten zu Meßzeiten / oder ſonſten *caſus* fürfallen / da nicht allein nach Kaufmans Gebrauch / ſondern auch nach aller Rechtsgelerten Meinung die *parata executio* ſtracks platz haben ſolle / und innerhalb 24 ſtunden / oder etzliche wenig Tage zugeſchehen pfleget. Et non tantùm contra Traſſantem, & acceptantem, ſed & ſupra dicto modo contra Remittentem locum habet. Sicut & in camera eo nomine ad nudam productionem literarum cambialium mandata ſine clauſula de ſolvendo decernuntur. *Vid. Hieron. Pruem. coroll.* 7. *ad l.* 5. *deciſ. Mainardi.* Et proinde denegatur quoq; appellatio, tam devolutiva, quàm ſuſpenſiva, reviſio, ſupplicatio, imò etiam querela nullitatis; ſi enim illa locum hîc invenirent, celeris executio, quæ in cambiis requiritur impediretur. *Scacc.* §. 8. *gl. unica n.* 1. *uti & dict. Receſſ. Imp. habet.*

XXVIII.

Cæterum ſpinoſam & arduam quæſtionem movent hic interpretes, an huic actioni poſſit opponi exceptio non numeratæ pecuniæ? v. c. Titius mercator Bremenſ. recipit in ſe remiſſam 1200. Imperialium, promittenſque Sejo itidem Bremenſi, per Cajum civem Hamburgenſ. facere numerari concivi ſuo Sempronio dictam ſummam; literis à Titio more ſolito confectis, & â Sejo ad Sempronium miſſis & à Cajo acceptatis; Sejus interim foro cedit, antequam Titio ſolveret promiſſam ſummam, proinde mittit citatis equis literas Cajo, ne acceptet literas camb. cum valuta, ut vocant, earum nondum ſit ſoluta; quæritur, an Cajus poſt acceptationem Sempronio except. non numer. pec. opponere poſſit? Negatr. Habet

quip-

quippe hæc exceptio tantùm locum in mutuo *l. 13. C. d. non. num. pec.* & cambium favore commerciorum & publica utilitate nititur, quæ non patitur in hoc caſu longis litibus occaſionem dare: illa verba etiam (**umb den Wehrt bin ich vergnüget**) ſimul confeſſionem & renunciationem in ſe continent. *Stypman. d. l. n. 112. & ſeq.* Plures rationes tam dubitandi, quàm decidendi vid. apud *Scacc. d. l. §. 2. gl. 8. n. 12. Rot. Gen. deciſ. 26. n. 4. & ſeq. & latiſsimè J. M. Vogt. d. l. th. 7. p. m. 111. et ſeqq. Marquard. d. l. lib. 3. c. 11. n. 48. Carpz. Jr. for. p. 1. c. 3. def. 6. & l. 2. Reſp. t. 8. Reſp. 92. Zanger. de Except. p. 13. c. 14. n. 54. Weſenbec. p. 1. conſ. 31. n. 23.* Qui praxi id frequentari omnes uno ore aſſerunt: *quod & probat Stat. Hamb. d. l. art. 5.* Deinde, an fidejuſſor traſſantis poſſit opponere except. ordinis valdè controvertitur? Negant id plurimi, maximè, ſi ſe ut principalem debitorem obſtrinxit; proceditur enim in foro mercatorum ſummariè & de plano, rejectis juris apicibus: publica quoque utilitas, mercatorum fides, celerem ſolutionem poſtulat, meritò rejicitur. *Gail. 2. obſ. 27. n. 27. Mynſing. 2. obſ. 15. n. 5. D. Mævius ad Jus Lubec. lib. 3. tit. 5. art. 1. n. 9. & ſeq. Stypman. d. l. n. 118. Marquard. l. 3. c. 8. n. 5.* Tandem quæro, an creditores cambiorum in concurſu habeant privilegium cum hypotheca & ita omnibus præferantur? Affirmant, *l. 8. depoſ. Berlich. 1. concl. 64. n. 14. Mich. Buther. d. jure prælat. p. 1. c. 32. Marquard. d. l. n. 65. Stypman. d. l. n. f.* Contrarium tamen obtinere Lubecæ, docet Marquard. *d. l.* Hinc diſting. ſententia verior videtur; an pecunia adhuc extet penes campſorem, & vindicatio locum habet, & ita præferuntur omnibus creditoribus anterioribus *l. 7. §. 2. depoſiti.* Quia doloſus campſor pecuniæ cambialis dominium in ſe non potuit transferre: an jam conſumta ſit, & referuntur ſaltem inter chirographarios *l. 24. §. 2. de reb. aut. jud. poſ. Bach. ad Tr. v. 1. diſp. 26. th. 7. l. B.*

XXIX.

Actio autem hæc ex cambio, plerumque in proprio merc-

cato-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 J 64

catorum ſoro coram conſule & conſiliariis ad hunc finem electis & autoritate ordinarii magiſtratus confirmatis, inſtituitur; horumque judicum jurisdictionem in Emporiis Italicis mercatores conventi declinare nequeunt. *p. l. fin. C. d. Juriſd.* adeò, ut filius alterius etiam profeſſionis pro ære alieno à patre contracto coram tali judice conveniri poſſit. *l. 19. §. 2. de Judic.* Non tamen præciſè cogitur actor hanc actionem inſtituere in foro mercatorum, coram dictis conſulibus, &c. Quia eorum juriſdictio judicibus ordinariis non præjudicat; juriſdictio enim ipſis ſimpliciter data, cenſetur cumulativè, non privativè conceſſa; adeoque à juriſdict. Magiſtratus oppidani, qui cum hoc judice concurrentem juriſdict. habet, mercatores non cenſentur exemti. *Berlich. deciſ. aur. 150. n. 27. Coler. de proceſſ. execut. p. 2. c. 1. n. 44.* niſi privativè juriſd. ipſis conceſſa fuerit. Conſules autem illi non de apicibus juris diſputant, ſed ſemper ante oculos habent æquitatem. *Marquard. d. t. l. 3. cap. 6. num. 48.* Sed cum illi judices rariores ſint, præſertim in Germania, ordinarius loci Magiſtratus adeundus erit, quem ſæpe ipſi mercatores informare neceſſe habent. Alii ſatius eſſe ducunt ſuometipſo judicio acquieſcere, quam aliorum ſententiæ ſtare. Idcirco frequens eſt inter eos, ad facti ſpeciem, in diverſis emporiis tranſmiſſam, breviter reſpondere, ſuamque mentem, ſalvo melius ſentientium judicio, apponere, ſubſcriptis peritorum nominibus; atque eam quandoque ad pleniorem judicis informationem in judicio offerre; quod Reſponſum mercatorib. Italico verbo illis uſitatiſſimo dicitur Parêr. *Marquard. d. l. lib. 3. c. 6. n. 51. & 52.* Exempla reſponſ. vide apud *J. M. Vogt. th. 7. p. 101. 107. & 155. & ſeq.*

XXX.

Hactenus abſolvimus doctrinam de conſentaneis, ſequuntur diſſentanea. Ab hoc contractu longè diſſentiunt Cambia Sicca, quæ reapſe cambia non ſunt, juſtitia & ſubjecto carentia, & nomine tantum appellantur cambia. Dicuntur ſicca,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 J 64

quia humore deficiunt, & debitæ juſtitiæ ſpeciem non habent, ſed finguntur, cùm ſit merè mutuum ſub uſura factum. *Lelius Zech. de uſur. c. 9. n. 3. in f. Leon. Leſsius d. Juſt. & jure l. 2. c. 23. dub. 1. n. 5, & 6.* Et conficiuntur dupliciter. 1. Modus eſt, quando quis pecuniam v. g. Bremæ accipit, ut eam ſolvat Hamburgi, & conficiuntur ad id literæ, quæ mitti debent ad locum ſolutionis, quamvis revera Bremæ debitor duntaxat ſoluturus ſit; literæ tamen conſcribuntur ad ſimulandum hunc contractum, & proinde dicitur ſiccum. 2. Modus eſt, quando literæ tranſmittuntur in nundinas alicujus loci, Francofurt. ſcil, ubi campſor nec factorem nec pecuniam habet, cum quo mercaturam exerceat; ſed procurator nomine campſoris conſtitutus, accipit ibi pecunias cum cambio, & recambio illas ſolvendas remittit Bremam: unde ſub hoc prætextu ſolvuntur uſuræ; & hæc cambia ut uſuraria damnata ſunt. *Marquard. d. l. l. 2. c. 12. n. 27. Scacc. §. 1. q. 7. p. 1. n. 20. & 28.*

XXXI.

2. Cambio contraria eſt pœnitentia. 1. Cambium enim literis nondum exhibitis revocari poteſt; tranſmiſſis verò & acceptatis non poteſt, ut in terminis patet ex *deciſ. Rot. Roman. Jacob. Putei p. 3. deciſ. 121. Mart. de jure noviſs. tom. 3. tit. epiſt. c. 7. & poſt hos Marquard. d. l. 2. c. 12. n. 80.* Poſtquam verò literæ remittenti jam traditæ, revocari nequeunt, etiamſi ageretur de reſciſſione non omnimoda, ſed in parte, v. c. quoad locum deſtinatæ ſolutionis: v. c. ſi depoſui Hamburgi in banco, ut Bremæ reddatur depoſitum, & priuſquam deferam literas, pœnitentia ductus, peto à banco, ut Oldenburgi reddatur, non ſum audiendus. *Scacc §. 2. gl. 5. n. 447.* Hoc tamen procedere exiſtimant interpretes, ſi literæ cambii diſpoſitivè conceptæ ſunt. v. g. ſi conveniſſem de literis dirigendis & ſolvendis à Titio proprio nomine, iſque eas acceptavit, ego campſor non poſſum revocare, modò creditoris gratia ſit adjectus. *Marian. Socin. l. 3. conſ. 68. pr.*

n. 1.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 J 64

n. 1. *Scacc. d.l. n.* 451. Cæterum ſi non diſpoſitivæ, ſed mandatoriæ ſunt literæ, revocari poſſunt: v. c. ſi conventam ſummam inſtitori meo dirigam, iſque procuratorio nomine ſe ſoluturum obliget literas mittendas, poſſum & meam & procuratoris obligationem revocare: limitatur tamen, niſi ille cujus eſt acceptare literas cambii, & iiſdem ſatisfacere, non ſit nudus mandatarius mittentis literas illas, ſed intereſſe aliquod habeat in pecuniam ſolvendam, aut in rem ſuam accipere juſſus ſit. Similiter, ſi juſſi Titio pecuniam ſecum depoſitam, abſenti meo creditori Sempronio ſolvere, iſque ad literas ejus ſolvit partem, ego revocare nequeo. *l.* 8. *§.* 6. *mand.* Cum confeſſioni propriæ obviare non liceat. *l.* 20. *§.* 1. *de donat.* præſertim à parte acceptata. *Stypman. d. l. n.* 99. *& ſeqq.* Intereſt enim Titii, qui ſe Sempronii debitorem conſtituit ſua apocha, ne poſtea nomen inde deleatur. *Schafhauſ. d. l. th.* 21. 2. Si in literis quas ſcriberem, non me obligarem, neque diſpoſitivè ſcriberem, ſed ſolùm dicerem, ſolvere placeat, (geliebet zu bezahlen) poſſem literas revocare re integra. *Rot. Gen. deciſ.* 10. *n.* 14. *Scacc. d. l. §.* 2. *gl.* 5. *n.* 450. *Vid. alium caſum apud Curt. Juni. Conſ.* 132 *n.* 6. 3. Campſor, inſtitori in ſui gratiam ſolutioni adjecto, mandatum de ſolvendo factum re integra poteſt revocare: & viceverſa, creditor in ſui gratiam ſolutioni deſtinatum re integra amovere, & alium petere poteſt. In dubio tamen cenſetur in gratiam debitoris adjectus, & proinde hoc caſu creditor eum revocare nequit. *Scacc. §.* 2. *gl.* 7. *n.* 77. *& ſeqq. Stracha de adjecto p.* 1. *n.* 30. *verb. nam. adjectus.*

XXXII.

Ulterius cambio contrariatur dolus ſeu falſificatio literarum cambialium. Hinc quæritur, ſi à remittente, vel etiam præſentante, vel alio, in numero literæ fuerunt falſificatæ, puta, pro 100 ſcripſit 200, unitatem in binarium commutando, vel etiam alia ratione acceptantem circumveniendo, cujus erit damnum? *Reſp.* Diſting. Aut vitium eſt ita evidens, ut etiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 J 64

etiam à quolibet mediocriter circumſpecto cognoſceretur; v. c. ſi raſura, vel ex comparatione literarum peritorum judicio, vitium aliquod viſibile, appareret, unde ſuſpicio suboriri poſſet; & hoc caſu periculum eſt ſolventis ſeu acceptantis: fuit enim in culpa, ſolvendo literas apertè falſas, cùm teneretur inquirere in veritatem, & ſua culpa ipſi, non aliis nocere debet. *Angel. conſ. 370. n. 1. verb. ſed ſi falſificatio Foller ad Marant. in ſpec. part. 6. art. 6. n. 54. Stypman. d. l. cap. 8. n. 105. & ſeqq.* Aut eſt latens falſificatio, ita, ut à peritiſſimo campſore cognoſci non potuiſſet, utpote nullam ſuſpicionem præ ſe ferens; & damnum erit traſſantis, non remittentis, quia ſolvendo non fuit in aliqua culpa, & proinde rectè ſolvendo fuit liberatus, tam à debitore, quàm à creditore remittente. *Angel. d. l. n. 1 verb. ſed ſi culpa nulla. Foller. d. l. Stypman. d. l. n. 107.* Cæterum hoc poſtremum membrum quidem verum eſt, ſi ipſe mercator literas cambii ſcripſit; aſt, ſi tertius aliquis mercatoris manum contrafeciſſet (*ut loquitur Scacc. §. 2. gl. 5. n. 396.*) i. e. imitatus eſſet, ut nullus etiam peritiſſimus cognoſcere diverſitatem manus, id eſt literarum, & conſequenter nulla poſſet attribui culpa, deſidia, negligentia, ſeu inexperientia acceptanti, quia quilibet fuiſſet deceptus, tamen adhuc damnum erit ipſius ſolius: & ratio eſt, quia mercator cũ acceptante & ſolvente in hoc non contraxit, ideoque periculum remanet ipſi ſoli ſolventi. Cautè itaque inſtitores & Bancherii, in ſcripturis & ſubſcriptionibus ſchedularum, & illarum recognitionibus agant, quia ſi ſolverint pecuniam, cũ ſchedulis, ſeu literis falſis, quæ eis præſentantur, & quas ipſi veras præſupponunt, quando ſolvunt, coguntur iterum ſolvere veris dominis pecuniarum, quia malè ſolverunt, *Vinc. de Franchi deciſ. 304.* Dicens, ſæpe ſæpius id evenire in civitate Neapolis; & ante aliquot annos cum Marpurgi Cattor. ſtudiis operam dabam, idem Francofurti accidit, ubi primarius mercator, aliquot millia imperialium falſas cambii literas ſolvendo perdidit, poſtea veris præſentatis, cognitoque errore, eandem ſummam iterum ſolvere coactus eſt.

XXXIII.

Huc quoque referri poteſt caſus valdè intricatus, quem ita *Schafhauſ. d. l. th. 28.* exemplificat. Tullius numerat Noribergæ Franciſco campſori 500 floren. qui, ſcriptis protinus literis detracta proviſione ſua, eos Romæ à Petro reddendos Marco conſtituit, Tull. acceptas literas, ut moris eſt, includit epiſtolæ quam vocant d'Aviſo, Marco directæ, ut dictos 500. fl. exigat, eamvé in domum publici tabellarii defert. Intercipitur illa in itinere, ab ignoto, qui ſimulato Marci nomine 500. fl. à Petro repetit. Tullius ignorans literas ſolutas, à Marco admonitus, ſe nullas cambii literas habuiſſe, mittit huic ſecundas, (*ut ſupra dictum*) Marcus, acceptis ſecundis literis, compellat Petrum de ſolutione, qui reſpondet, ſe jamdudum ſolviſſe, & decidit, quòd Petrus ſit inculpa, & ad damni præſtationem teneatur, tum, quòd mandati fines exceſſerit, & falſo creditori ſolverit, ſolvens autem alii, quàm vero creditori nunquam liberatur *l. 24. d. neg. geſt. l. 38. §. 1. de ſolut. l. 19. C. de furt. l. 12. & 14. Cod. de ſolut.* tum, quòd non neſcire debuerit, tales caſus ſæpe inter mercatores obvenire; & ideò diligentius in Marci perſonam inquirere debuiſſet, an verus Marcus fuiſſet, vel non. Quod, quia neglexit ſuæ ſocordiæ damnum imputare debet. *Scacc. §. 2. gl. 5. num. 347.* Licèt hæc ſententia vera ſit, diſſentientes tamen objiciunt duo argumenta. 1. Quia ante ſecutam ſolutionem amiſſis literis cambii, Franciſc. campſor, non tenetur Tullio campſuario reſtituere 500 fl. quin ipſi Fran. ſit prius conſultum, in caſu, quo aliquis tertius repertis literis illas exigeret Romæ à Petro. Ergo ſi Fran. vel ejus procurator Petrus, ſolverit alteri, quàm Marco, rectè ſolveret; nam ſi malè ſolveret, ſatis erit conſultum Fran. quia non teneretur Fr. reſtituere; *uti ſupra dict. ubi videſis citatos autor. theſ. 26. inf.* 2. Veniens de longè diſſito loco, aſſerenſque ſe eſſe procuratorem, & docens de mandato, debet admitti & recipi tanquam talis, quamvis non doceat ſe eſſe talem, id eſt, quamvis non doceat de identitate ſuæ perſonæ, quòd illemet ſit, qui eſt mandato conſtitutus procu-

rator.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 J 64

rator. *Strach. tr. de adjecto p. 4. q. 8. n. 10. & poſt hunc Scacc. d. l. n.* 345. Si itaque ille bona fide ſolverit, ignorans eſſe falſum procuratorem, maximè cum in ejus perſonam inquirere non liceat, damnum non debet eſſe ſolventis. *Reſp.* ad 1. eſſe fallaciam cauſæ, hanc autem veram eſſe cauſam, cur amiſſis literis, campſori prius ſit cavendum ante ſolutionem, ne contingeret, quòd alius præſentaret literas amiſſas, & mercatore jam certiorato de ſolutione cambii nolente eas acceptare, proteſtatis literis, regreſſum haberet contra campſorem, diceretque pecunias eſſe ſolutas falſo creditori, doceretque ſe eodem nomine & cognomine vocari, quibus vocatur ille, qui eſt ſcriptus creditor in literis cambii; hujuſque cautionis cautela omittenda non eſſet, quando campſor non cognoſcit eum, cum quo contraxit. *Scacc. d. l. n.* 354. *Reſp.* ad 2. Verum eſſe, in caſu, ubi quis ſolvit certam rem ſeu ſpeciem, ſecus eſſe ſi debitor ſit generis ſeu quantitatis, ut noſtro caſu. 4. Obſtat huic contractui vis & metus. 5. Error, &c.

XXXIV.

Satis de diſſentaneis. Pergimus ad Affinia. Magnam verò cum cambio habet conjunctionem, quando quis pecunias ſuas penes aliquem campſorem deponit, ut eas negotietur in cambiis ſuo periculo, ut ſors ſemper ſit ſalva deponenti, eumque faciat lucri participem. Et hoc facere ſolent illi, qui ipſi mercaturam exercere nequeunt vel nolunt, ut ſunt, pupilli, viduæ, Illuſtres, &c. Qui idoneis Bancheriis pecunias ſuas tradunt & iis ſolvunt ſolitam proviſionem pro exantlato labore, & ita quotidie apud Genuenſes & alios practicatur, vocaturque Italica dialectu *cambiar per terza perſona. Joh. Azor. d. l. p.* 3. *l.* 10. *tit. de camb. c.* 12. *q.* 1. *Raph. de Tur. diſp.* 3. *q.* 10. *n.* 21. *& ſeqq. Scacc. §.* 1. *q.* 7. *p.* 2. *ampl.* 9. *n.* 1. *& ſeqq.* Deinde Emptio venditio, Locat. conduct. permutat. Mandat. do ut facias, facio ut facias & uſitatiſſimus Argentariorum contractus veterum Romanorum, quorum conſonantiam & diſſonantiam latius deducere jam non vacat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 J 64

COROLLARIA

I.

PRæciſè ad factum nemo poteſt cogi: præciſè ad factum quis poteſt cogi.

II.

Donatio eſt modus transferendi dominii: donatio non eſt modus transferendi dominii.

III.

Servus datur ſine domino: non datur ſervus ſine domino.

IV.

Actio Pauliana eſt realis: actio Pauliana non eſt realis.

V.

Uſufructuarius poteſt uſumfructum alienare: uſufructuarius, non poteſt uſumfr. alienare.

VI.

Quod quis non habet, non poteſt dare: quod quis non habet, poteſt dare.

VII.

Stipulatione in diem concepta obligat. & act. protinus eſt nata: ſtipulatione in diem concepta oblig. & act. protinus non eſt nata.

Sctum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 J 64

VIII.

Sctum Macedonianum eſt favorabile: Sct. Macedon. non eſt favorabile.

IX.

Quatuor ſunt ſpecies legati: non ſunt quatuor ſpecies legati.

X.

Plus cautionis eſt in re, quàm in perſona: plus cautionis eſt in perſona, quàm in re.

XI.

Poena criminis Majeſtatis habet locum in liberis: pœna criminis Majeſt. non habet locum in liberis.

XII.

Actio pignoratitia directa naſcitur poſt debitum ſolutum: act. pignoratit. directa naſcitur ſimulatque pignus eſt contractum.

XIII.

Summa Majeſtas apud Romanos non habuit juriſdictionem: ſumma Majeſt. apud Romanos habuit juriſdictionem.

XIV.

Spurii ſunt infames: ſpurii non ſunt infames.

XV.

Obligationi ex delicto fidejuſſor rectè accedit: obligat. ex delicto non rectè accedit fidejuſſor.

Factum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 J 64

XVI.

Factum alienum inutiliter promittitur : factum alienum utiliter promittitur.

XVII.

Interdictum unde vi datur adverſus tertium : interdict. unde vi non datur adverſus tertium.

XVIII.

Tutela eſt munus publicum : tutela non eſt munus publ.

XIX.

Patria poteſtas eſt juris civilis : patria poteſtas non eſt juris civilis.

XX.

Non vitiatur teſtamentum liberis ſine cauſa exheredatis vel præteritis, etiam jure Novellar. Vitiatur Teſtamentum liberis ſine cauſa exheredatis vel præteritis jure Novellar.

ERRATA ſic corrige.

In præloquio pro quod leg. qui. pro Ach. l. Ah. pro non l. enim pro æternæ l. æterne theſ. 5. pro ſi ſcript. l. Præſcript. *theſ. 7. pro at l. ut. pro ſecutus l. ſecutum. theſ. 9. pro debet l. debeat. theſ. 13. pro poſſunt l. poſſint. theſ. 15: l. vel natura.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 J 64

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 J 64